DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS, 32.[a]

DE

EO, QVOD JUSTUM EST CIRCA NUMERUM SUFFRAGIORUM,

UBI

DE CALCULO MINERVÆ:

QVAM

DIVINO FAVENTE NUMINE,

EX DECRETO ET AUTORITATE MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS IN ALMA VIADRINA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. CHRISTIANO ULRICO,

DUCE WURTENBERGIÆ, TECCIÆ, ET IN SILESIA OELSNÆ, COMITE MONTISBELGARDI, DYNASTA HEIDENHEIMII, STERNBERGÆ ET MEDZIBOHRA, ETC. ETC.

PRÆSIDE

DNO. HENRICO COCCEJO,

AUGUST. AC POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO INTIMO, FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO, ET ANTECESSORE PRIMARIO, h. t. DECANO,

DN. FAUTORE AC PATRONO PER OMNEM ÆTATEM SUBMISSE COLENDO:

PRO

SUMMIS IN UTROq; JURE HONORIBUS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS RITE CONSEQUENDIS,


Publico Excellentissimorum Procerum Examini & Censuræ Placidæ

Ad D. Maji, Horis ante- & pomeridianis An. M DCCV.

Ventilandam submittit

FRANCISCUS MEYER, Bremens.

FRANCOFURTI ad VIADRUM, Literis CHRIST. ZEITLERI.



Disputatio Inauguralis
De
Eo quod juſtum eſt circa Numerum Suffragiorum: ubi de Calculo Minervæ.

PROLEGOMENA.

§. I.



Uanquam ſummæ Dei Clementiæ ac bonitati ab æterno benevolè placuerit, omnia, quæ in hac univerſitate oculis noſtris ſeſe conſpicienda præbent, unicè & ſolius hominis cauſâ, quem ideo facultate rebus terræ utendi in medio terræ ſinu locaverat, producere, ut ille iis uti fruiq; pro lubitu commodè poſſet. *Gen. 1. v. 29.* Non tamen indiſtinctè ac prorſus abſolutè hanc ipſi facultatem tribuere voluit Supremum Numen; ſed ita, ut ſalva ac integra alterius facultas naturalis permaneret: Cùm enim jus omne in terram non ſit datum uni, ſed omnibus ſimul, ut eſſet communis quædam poſſeſſio, teſte Ambroſio *Lib. 1. Off. c. 28.* neque ſinguli tantùm, ſed omnes omnino homines eadem facultate, iisdemque idcirco juribus gaudeant, apertè conſtat, non ita laxos, quales ſibi Hobbeſius *ex jure*, ut vocat, *omnium in omnia* fingit, poteſtatis noſtræ eſſe fines, ſed

Cuiq; jus tantùm competit in ſuas res & actiones.

A eate-

eatenus tantum concessos, quatenus alteri nullum exinde præjudicium obvenit: Quæ causa est, cur vacua tantùm occupare, & in his modò, quæ occupatione vel justa alterius dispositione nostra facta sunt, facultatem istam naturalem licitè exercere possimus.

Hoc proinde jus etiam quilibet quovis modo potest defendere.

§. 2. Quoniam ergo voluntas divini Creatoris est, ut illa, quæ citra alterius injuriam intra legitimos concessorum jurium terminos nobis acquisivimus, licitè quoque nostro usui ac commoditati inserviant, hoc ipso etiam permisit, ut jus hoc in res & actiones nostras quovis legitimo modo à nobis defendatur: finis quippe impetrari non potest sine mediis, unde hoc concesso media quoque omnia simul concessa intelliguntur. *l. 234. §. 2. de V. S.* & *l. 2. de Jurisd.* ubi ita JCtus: *Cui jurisdictio data, illi omnia Ea concessa videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potuit.* Atque adeo & hîc, cùm finem Natura concedendo jus in res & actiones nostras posuit, defensionem quoque illiùs, tanquam unicum & necessarium ad finem illum obtinendum medium, concesit.

Cùm verò singuli sua defendere nequeant, hæc defensio in alios potentiores confertur.

§. 3. Licèt vero defensio facultatis nostræ nobis legitimè à natura sit concessa, quoniam tamen singuli suis rebus ac juribus defendendis non sufficiunt, necessariò plures, qui unitis opibus atque consiliis singulorum jura observarent, eligi debuerunt; Verum quidem est, naturam hominum ita esse comparatam, ut malit sine lege & Imperio aliorum vivere, quàm superioribus subjici, attamen, cùm non eadem atque æqualis omnium hominum sit potestas, eoque egeni ac imbecilles potentiorum malitiam atque avaritiam meritò extimescant, duorumque vel trium congregatio securitatem minimè successumque atque fiduciam contra plures, opibus Eorum nefariè inhiantes, possit spondere, idcircò, quò magis aliena ante ab aliorum Imperio hominum natura fuit, eò ardentiùs spontè ac sine lege superiorum potestatem, quæ amovere injurias & perditos ad frugem compellere possit, est amplexa.

Hi consentire debent,

§. 4. Hæc autem administrandæ justitiæ, tuendorumque jurium potestas, cùm non tantum uni, sed pluribus, qui consi-

confilio, imperio ac armis noftræ necesfitati fuccurrant, quandoque concedatur, horum certè pernecesfarius erit confenfus, quia aliâs defenfio jurium & tranquillitas publica, tanquam finis naturalis, obtineri non posfet: Quantuscunque enim iftorum fit numerus, nifi tamen de optima ratione, quâ communis defenfio ineunda, confentiant, fed quisque ex proprio judicio fuis inftinctibus ac viribus uti velit, nihil efficietur: Diftracti enim fententiis & in diverfa tendentes impedimento invicem erunt, cunctaque negotia irrita reddentur, juxta illud vulgatum.

ne finis ob quem illi conftituti, fruftretur.

Concordiâ res parvæ crefcunt, difcordiâ magnæ dilabuntur

§. 5. Cùm verò naturalis fit illa ingeniorum confiliorumque, quandoque ex invidia aut æmulatione, quibus homines fæpe numero inter fe contendunt, Philip. Com. in *l. 2. Comment.* nonnunquam ex levitate & inconftantia defcendens diverfitas, de qua fuo jam tempore queftus fuit Plutarchus *de Cap. ex Inimicit. Util. p. 91. Omnis*, inquiens, *natura humana profert ftudium rixandi, obtrectationem, & invidiam vanorum affeclam hominum.* Et Poeta:

Cùm verò naturalis fit hominum diffenfus videndũ, quomodo contrariantes fententiæ cõciliari posfint.

Mille hominum fpecies & rerum difcolor ufus,
Velle fuum cuiq; eft, nec voto vivitur uno.

facilè contingeret, ut vel nunquam, vel faltem rarò negotia atque lites dirimerentur, fi uno vel altero disfentiente tota illico tractatio deficeret. Ne ergo deliberationes, quibus ipfi inter fe agitantur, & lites, quæ diftractos fubjectorũ tenent animos, omniaque negotia publica fine exitu fint, nec falus Reid. ac civium defenfio intercidat, id maximè agendum erit, ut quantopere posfint, contrariantes invicem fententiæ concilientur.

§. 6. Quæ proinde & publicis & privatis negotiis faluberrima ad voluntatum, quæ primò quidem intuitu difcrepare videntur, re ipfa autem conveniunt, unionem & dulcisfimam quafi harmoniam inducendam, fuffragiorum disfentientium conciliatio, tanquam unicum medium quo civibus æque ac Reip. fua posfit conftare falus, ad præfentem difputationem conficiendam anfam præbuit, quam fequenti

Quæ conciliatio præfenti Difputationi anfã dedit.

me methodo commodè tractaturum pro ingenii mei tenuitate arbitror, si, 3. factis sectionibus, in prima fundamento & juribus pluralitatis suffragiorum discussis, secundæ calculum Minervæ, & denique tertiæ diversarum planè sententiarum conjunctionem vel disjunctionem commisero.

SECTIO I.
De Pluralitate Suffragiorum.

§. 1.

Juris N. est ut majora suffragia prævaleant, 1) quia nullũ aliud remedium apparet, quo plurium dissensus ad concordiam possit redigi.



Idimus in Prolegomenis, unicam & solam rationem, cur certis personis summa rerum in Republ. sit collata, esse tuitionem jurium, defensionem civium, atque administrationem justitiæ, quod præclarè innuit Ictus in *l. 2. §. 13. de Orig. juris.* cùm inquit, *Quantum est jus in civitate esse nisi sint qui jura regere possint?* Quæ ratio cùm descendat ex ipsa voluntate DEI, qui nullo alio fine jus in terram, jus in res & actiones suas homini largiter concessit, quàm ut id in suos usus atque utilitatem convertere, impedientes verò vel per se, vel per superiores repellere possit, necessariò sequitur, juxta *Pos.* Illi Dn. Præs. *4. n. 4.* omnia illa media, quibus officium hoc superiorum peragitur, & sine quibus plurium dissensus ad concordiam nequit redigi, esse juris Naturalis. Cùm verò nullum aliud commodius remedium appareat, quò celeriùs ac feliciùs deliberationes ad optatum exitum deduci, civium negotia commodè decidi, exerceri inviolabiliter possit justitia, quàm ut decisio litium atque negotiorum majorem suffragiorum sequatur partem, omninò liquet, hanc ipsam quoque juris N. veram & indubitatam esse regulam ac legem. Præclarè Seneca *l. 7. Ep. 12. Numeranda*, inquit, *sententiæ, non ponderandæ, nec aliud*

in

in publico consilio fieri potest, in quo nihil est tam inæquale quàm æqualitas ipsa, cùm, si impar omnium prudentia, par tamen omnium jus sit. Et nervosè Plinius in *Panegyr. suo: Melius omnibus quàm singulis creditur, Singuli enim decipere & decipi possunt, nemo autem omnes, neminem omnes fefellerunt.*

§. 2. Nec movet, quòd ratio decidendi potiùs in ipsa rei veritate aut negotii utilitate, quàm in pluralitate votorum (sit venia ubique verbo) fundata esse debeat, naturæque inconvenientius sit, ut quod prudentioribus placuit, præferatur ei quod à minus prudentibus descendit; contrà eidem repugnet, ut imperitorum sententia sapientissima aliorum consilia superent, cùm sæpius contingat, ut pauciorum sententia Reip. utilior ac salutarior sit plurium assensione, uti id Seneca testatur *de Vita Beata cap. 2. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant.* Et Liv. *l. 21. c. 4. Pauci & ferme optimus quisque Hannoni assentiebantur, sed, ut plerumque fit, major pars meliorem vicit.* Equidem, distinguendum est Theoreticas inter & Practicas deliberationes: quo posito omne facile dubium tolli potest. Aut enim speculativè in negotio quodam tantùm versamur, deque sola veritate illustranda ac eruenda solliciti sumus, quo in casu, cùm nullum inde damnum Reip. suboriatur, facile Eorum, qui veritatem potiùs, quàm plurium falsas inspiciunt consultationes, sententiam amplectimur. *In veri enim investigatione*, inquit Ambros. *1. Off. c. 16. illud tenendum quod decorum, ut summo studio requiratur quid verum sit, non falsa pro veris ducere, non obscuris vera involvere, non superfluis vel implexis atque ambiguis occupare animum* Et Justinus Martyr. *Apolog. 1. pro Christo pr. Non magis colendus*, ait, *plurisque faciendus est homo quam veritas.* Unde & Princeps qui laudabiliter in rebus magni præjudicii Consiliarios suos convocat, & singulorum consilia exquirit, non tenetur id eligere, quod pars Consiliariorum major suadet, sed tutiùs consultantium consilia ponderat quàm numerat. Petr. Greg. Tholos. *de Rep. L. 24. c. ult. n. 4.* At verò, si practicè non ipsam tantummodo veritatem, sed exitum simul controversiarum ac negotiorum spectemus, jure

Resolvitur objectio veritatem potius esse inspiciendam, quàm numerum suffragiorum.

jure merito summa rerum plurium consensu peragitur, quoniam alias nec regi societas posset, nec negotia expediri, *arg. l. 2. §. 9. de Orig. Jur.* & deliberationes nullos plane, vel saltem difficiles sortirentur eventus, Mev. *ad Jus Lub. l. 1. tit. 1. art. 2. §. 11. & seqq.* Faber in *Cod. l. 1. tit. 7. def. 2.* Quis enim hîc judicium ferret, utra verior esset sententia, utra prudentior? Non sane ipsæ partes dissidentes, cùm sua cuique prudentia magis placeat, quàm aliena; nec superior, quia supponimus casum, quo unicè tractatio negotiorum à Collegio quopiam dependet.

Unde sequitur Communes Doctorũ Opiniones non præjudicare legibus.

§. 3. Atque hinc facile corruit quæstio illa adeo strenuè inter Veteres JCtos Coratium Nevizanum, Benedictum de Capra, aliosque quos Autor Thesauri Comm. Opin. recenset, agitata, num in juris interpretatione causarumque decisione communes, quas vocant, DD. opiniones præferendæ sint Legum Veritati, an hæc illis prævaleat. Equidem, cùm Doctores in discutiendis legum veritatibus ac rationibus, non decidendis civium negotiis versentur, constat omnino, veriorem potiùs sententiam quàm congruentes plurium sententias præferri oportere, per *l. 1. §. 6. C. de Vet. Jur. Enucl.* ubi Imp. ita judices alloquitur. *Sed neque ex multitudine Autorum quod melius & æquius est judicatote, cùm possit unius forsitan & deterioris sententia multas & majores in aliqua parte superare. Nec tam quis aut quot dicant, sed quid dicatur, ponderandum est. Cap. 2. Distinct. 19.* Tantumque credendum Doctoribus quantum probant. Conf. Bart. *in l. 9. §. liberationis. n. 7. de liber. leg.* Et Colerum *de Process. Executiv. part. 1. cap. 1. n. 41.* Accedit, quòd Doctores sæpissime apum instar regulas suas cœco impetu, non attentâ demum legis ratione Vett. Interpp. sequantur, quo tamen legibus ac rationibus earum præjudicare nequaquam possunt. Menoch. 2. *Præsumt. 71. n. 40.* Cothman. *Consil. 1. n. 282. & seq.* Quin cùm inter ipsos Doctores nondum constet, quænam sit communis Opinio, sed Communis quandoque contra Communem allegetur, Hieron. de Cævall. *In spec. Comm. Opin. contra Comm.* quàm fragile erit atque incertum communibus Opinioni-

bus

bus adhærere, veritatemque non juxta gravitatem sed pluralitatem Doctorum metiri? Hinc optimè Zasius *l. 2. Sing. Respons. c. 1. num. 26. in fin. & n. 27. Nihil*, inquit *apud me loci habet harum ipsarum Opinionum, quæ circumferuntur, autoritas, nisi juris scripti Veritas eas ornet, & ad id neutiquam adstrictus esse volo, ut curem, quid alii dixerint, sed potiùs quid ex veritate duci possit.*

§. 4. Aliter autem in iis corporibus sese res habet, quæ dirimendis litibus ac consultationibus de Rep. occupantur: Hæc enim cùm non nudam tantùm veritatem, sed decisionem quoque negotii propositam sibi habeant, id maximè agere debent, ut deliberationes ad finem desideratum ducantur: Hoc verò, nisi plurium suffragia observemus, neutiquam continget: Licèt enim Collegii fortasse membra invicem præemineant, in Collegio tamen æquali jure ac dignitate pollent, & hinc eodem privilegio gaudere debent, nec attentâ personarum diversitate minùs digni digniorum partes sequi, suamque sententiam aliorum voluntati subjicere cogi possunt, secundùm ea quæ Plinius *lib. 6. Ep. 13.* refert: *Singulis re integra dissentire fas est, peractâ, quod pluribus placuisset cunctis tenendum.* At cùm paria omnium in Collegio sint jura, nec alter alteri cedere, sed suam quisque sententiam tueri velit, quid æquius, quid justius, quàm ut quæ numero vicit sententia, eadem quoque rationis pondere superior existimetur? Anton. Faber. *in Cod. Rerum in Sabaud. judicat. l. 1. tit. 7. Def. 2. n. 2.* Taceo contra naturam esse, ut plures paucioribus se submittant, si verò negotia sunt decidenda, sanè vel secundùm unius, vel pauciorum, vel plurium consensum decidi debent, quia quartum non datur: non possunt autem secundum unum vel paucos decidi, quia certa ratio est, cur major numerus minori præferatur, nulla autem, cur minor majori, ut canit Prudentius *lib. 1. contra Symm.*

Pluralitas suffragiorũ probatur (2 exinde, quia negotia vel secundùm unum vel paucos vel plures sunt decidenda. Hoc ultimũ autẽ tãtùm est juris. N.

- - - *In paucis jam deficiente caterva*
Nec persona sita est Patriæ, nec curia constat.

Ergo secundùm plures. Nam & majori numero minor inest, & eo quid amplius. *Hoc enim quod pluribus probatum fuit, in o-*

mnibus

mnibus reperitur : Nam & in Oligarchia & Democratia, quod majori Eorum parti visum fuerit, hoc est ratum. Arist. *Pol. l. 4. c. 8.*

(3) Quia Collegium consideratur ut persona, cujus tota voluntas inclinat in id ubi fortior ratio est,

§. 5. Porrò quemadmodum persona, quæ secum aliquid decidere vult, si varietate rationum ab utraque parte sese offerentium anceps ac dubia reddatur, præponderante unicâ tantùm ratione, tota voluntate, non ejus tantummodo parte, in probabiliorem sententiam inclinat, ita & collegium, quamvis ex pluribus constituatur personis, membra tamen reverà unum duntaxat corpus efficiunt, Bald. *in l. Quicunq; Columm. 3. n. 9. prope fin.* & velut unam personam, quæ ideo Hobbesio artificialis, Lauterbachio Mystica dicitur, repræsentant : Hoc ergo corpus, quamdiu paria invenit suffragia, in suspenso relinquitur, nihilque agit, cùm primùm verò ab altera parte plurium sententiæ coincidunt, in eorum quoq; castra totum non pro parte tantùm transit : unde quod ratio in persona privata, illud suffragia in publica sunt : illa enim, quærens, quid consultum, solam sequitur rationem; hæc verò, si de jure tuendo agatur, plura sequitur suffragia *l. 36. de re jud.* Unde lex illa Romanorum, de qua Cœlius apud Ciceronem *l. 8. Ep. 8. Quod horum judicum major pars judicaverit, ratum esto.* Zasius *in Parat. ff. Quod cujuc. univers. nomine.*

4] Quia ubi major pars, ibi regulariter quoq; major perspicacia.

§. 6. Præterea pro majori parte militat hæc juris ratio ac præsumtio naturalis, quòd ubi major pars, ibi major quoque perspicacia, & quòd à multis perfectiùs haberi poslit veritas, quàm à paucis, cùm, secundùm commune Proverbium, plus videant oculi quàm oculus. *arg. l. ult. Cod. de fideic. cap. Prudentiam. de Officio Deleg.* Aristoteles *l. 3. Pol. c. 7.* Quanquam enim, uti *supra §. 2. hujus sectionis* jam vidimus, aliquando accidat, ut major pars cœco impetu in deterius feratur, teste Phocione, qui, apud Plutarchum in *Apophtheg.* miratus sententiam suam communi applausu recipi, conversus ad Amicos exclamat : *Numnam mihi imprudenti aliquod pravum dictum excidit?* Quoniam tamen in Eo, cui in Collegio suffragium conceditur, tantum prudentiæ, ut expediendis negotiis sufficiat, inesse merito judicatur, æquius tutiusq; omnino

no est talem inire rationem, quæ nihil difficultatis aut obscuræ habeat disceptationis, quàm quæ publicam utilitatem & causas ad deliberandum propositas indecisas relinquat; indecisæ verò omnes redderentur, nisi pluralitas suffragiorum sola resisteret. Vid. Puffend. *de Jure N. & G. l. 7. c. 2.*

(s) Quilibet lubens pro se majora vota amplectitur, Ergo & contra se admittere ea debet.

§. 7. Et denique si nos ipsos intuemur, humanamq; naturam penitius aliquantò inspicimus, quis non libenter exoptat, deficiente alio remedio, in sua causa obtinere id, quod major pars ei adjudicavit? Cùm verò juris sit Naturalis, cui Servator ipse anuit Matth. 7. quodque JCti *tot. tit. Quod quisq; juris in alterum* inculcant, ut, quod quis probat in se, non possit improbare contra se, probâsse autem censeatur jus à pluribus impetratum sibi applicando, æquissimum quoque est, ut hoc majoris partis præsidium in aliis negotiis contra se admittat, idemque in causa aliorum, quod in sua causa impetravit, amplectatur: Osiander ad Grot. *l. 2. c. 5. §. 17.*

Refertur ratio Hobbesii.

§. 8. Alii alias afferunt rationes, qualis illa est Hobbesii *Tr. Leviath. c. 16. in f.* quòd negationes & assertiones invicem tollantur per contradictionem, unde vocem, quæ superest, & cui non contradicitur, pro totius personæ effato habendã esse judicat, sed sufficere possunt illæ, quas *Gloria seculi nostri* Perillustr. â Coccejus *Præceptor meus omni pietate colendus, cujus nunquam recordor, quin Divinum acumen, & profundissimam omni ex parte Sapientiam submisse venerer,* in *Lectionibus ad Grotium* adduxit, & quas paucis in præsens pro ingenii mei mediocritate attigi.

Refellitur ratio Grotii desumta ab intentione ineuntiũ societatem.

§. 9. Grotius quidem *l. 2. cap. 5. §. 17.* hanc adhuc causam affert, quòd in iis rebus, ob quas societas instituta, plures ideo vincant pauciores, *quia nimirum ea credenda est fuisse voluntas in societatem coeuntium, ut ratio aliqua esset expediendi negotia,* sed meritò hæc ratio rejicitur: Sunt enim quædam Collegia, uti superiorum & Magistratuum, ita comparata, ut majoris partis decreto præcisè stari debeat, adeo ut nec societatem ineuntes, quamvis voluissent, aliter agere potuissent: Quoniam enim juxta *Prolegom. §. 3.* Magistratus à Natura est, nec pendet ab hominum arbitrio, nisi quate-

 nus

nus liberum fuit divisâ humani generis ſocietate, hunc vel illum conſtituere, apertè conſtat, omnia illa ſine quibus ſocietas illa à Natura conſtituta durare ac ſupereſſe nequit, eſſe juris N. *per poſ.* Illuſtr. Dn. Præſ. *4. n. 4.* Atqui, niſi minor pars majori cederet, ſocietas, negotiis exitum non ſortientibus, tandem interiret. §. *1. hujus ſect.* ſequitur ergo, hanc plurium ſuffragiorum vim non ab intentione amplius ſocietatem contrahentium, ſed ab ipſa natura dependere. Gl. & DD. *in l. aliud §. refertur de R. J.* Wameſius *ad C. Conſtitutus 45. n. 3. X. de Appell.* Beſold. *Conſ. Polit. Axiom. 511. f. 283.* Tametſi non negem, dari quoque Collegia, in quibus id ſolùm, quod omnes unanimi conſenſu declarant atque laudant, obſervatur. Alexand. *Conſil. 124. In cauſa & lite pr.* Sed quàm infelici quandoque ſucceſſu, Auguſta Polonorum Resp., quæ unanimia omnium Nobilium in comitiis regni requirit ſuffragia, affatim teſtatur.

Probatur ulterius pluralitas votorum teſtimoniis. §. 10. Adſtipulatur & huic juri Naturali, quo plurium ſuffragiis tota cauſæ deciſio committitur, omnes ferè Gentes: Nam, ut reliquas taceam, de Græcis equidem ac Romanis id minime dubium eſt: Ita enim Appianus ἐστὶ δ' ἐν τε χειροτονίαις καὶ δίκαις ἀεὶ τὸ πλέον δικαιότερον *Tam in Comitiis quàm in judiciis vincit major pars.* Et Thucydides κύριον εἶναι ὅτι ἂν τὸ τὸ πλῆθος ψηφίσηται. Similiter Dionyſ. Halicarn. ὅ τι ἂν δόξῃ τοῖς πλείοσι τοῦτο νικᾶν *Quod pluribus viſum id valere.* His addi poſſunt & Livius *l. 1. 32. Inde alii rogabantur, quandoque pars major horum, qui aderant, in eandem ſententiam ibant, bellum erat, conſenſu fieri ſolitum* Et A. Gell. Noct. Att. *De reo ſeptem judices cognoſcunt, eaque ſententia fit rata, quam plures de Eo numero dixerint.* Quibus annuit Appian. Punic. 35. *Auditâ hac quoque ſententiâ, Senatus popoſcit Calculos, Scipio vicit plurimis ſuffragiis.* Plura quidem ſubjungerem, niſi crederem, ex his juxta ac ſupra dictis ſatis ſuperque veritatem hujus rei conſtare.

Item exemplis. §. 11. Quin etiam apud pleroſque populos hunc ſecundùm plures judicandi morem obtinuiſſe, ex multis paſſim ſcriptoribus luculenter conſtat: De Hebræis id inter alios teſta-

testatur Commentator quidam *ad Exod. 23. v. 1. 2. 3.* cujus hæc sunt verba: *Verum est, Hebraos voluisse, sequendam esse multitudinem, qua reum liberare & absolvere cupit, etiamsi unico tantùm voto major sit, non verò eandem, si damnet unico tantùm voto superior existens: Si lis erat de pecunia, unum votum superius sufficiebat ad absolvendum reum, si de vita hominis, duo ad minimum majora debent esse reliquis.* Idem ab Atheniensicus quoque observatum fuit teste Sigonio *l. 2. de Rep. Athen. c. 3. & lib. 3. c. 4.* De Lacedæmoniis idem eleganter ex Plinio refert Aerodius *lib. 1. Rer. judic. c. 21.* In Parlamento Galliarum Parisiensi supremo, quamvis à tempore Ludovici XI. parum Autoritatis habuerit, teste Conring. *Diss. de Comit. §. 4.* & olim & hodie id obtinuisse, ex variis passim Autoribus & inprimis ex Francisci Hottomanni *Franco Gallia c. 27.* abundè patet: Taceo Hispanos, Italos, Lusitanos, Belgas, aliosque, quorum supremi Senatus perpetua hac consvetudine usi fuerunt: Vid. Thesaur. *Dec. 1. n. 25.* Faber *in Cod. Rerum in Sabaud. judic. Lib. 1. tit. 7.* Afflict. *Decis. 1.* Anton. de Gamma *Decis. 1.* Christinæus *Decis. Belg. Volum. 1. Dec. 8. n. 5. & seqq.* Addatur Klock. *lib. 1, Cons. 35. n. 287.* & Conring. *Diss. de Comitiis §. 4.*

§. 12. Quid ergo dubitemus de JCtis nostris Romanis tam strenuis jurium naturalium, à quibus, non nisi ob summam Reip. necessitatatem recessere, defensoribus? Sane ubique ferè, quò nos vertimus, hanc nostram sententiam confirmant: Sic enim Scævola ait *in l. 19. ad Municip. Quod major pars curiæ effecit, pro Eo habetur, ac si omnes egerint.* Vid. Bartol. *ad h. l.* Schurff. *Consil. 59. n. 30. Cent. 1.* Hillig. *ad Donell. Enucleat. l. 27. c. 8. lit. a. in not.* Et Celsus *in l. 39. de Re jud. Tres judices si adsint & unus contra sentiat, statur duorum sententia NB. quid enim minus verum est, omnes judicâsse?* Quin referri dicitur ad universos, quod publicè per majorem partem fit per *l. 160. §. 1. de R. J. l. 2. Quod cujusq. univers.* Unde Ulpianus *in l. 17. §. 6. de Rec. Arbitr.* demonstraturus, melius & tutius esse imparem arbitrorum constitui numerum, hanc addit rationem, *quia, si dissentiant, invenitur pars major, cujus arbitrio statur.* Huc etiam facit lex illa quam *sup. §. 5. in f.* jam

JCti hanc perpetuò observârunt.

jam vidimus, & illud, quod Symmachus *l. 4. Ep. 27.* scribit: *Legem Curiæ Romanæ illam fuisse, ut majoris numeri antistet Autoritas.* Eundem Romanorum morem satis confirmat Gruchius *l. 1. de Com. Rom. c. 4. p. 133.* Sigonius *de Antiquit. juris Civ. Rom. c. 14.* Et nervose depingit Prudentius *l. 11. contra Symmachum* his versibus:

Si Consulta Patrum subsistere Conscriptorum,
Non aliter licitum prisco sub tempore, quàm si
Ter centum sensisse Senes legerentur in unum:
Servemus Leges Patrias, infirma minoris
Vox cedat numeri, parvaque in parte silescat.

Nec in suffragiis tantùm, sed in aliis quoque casibus majorem semper partem attenderunt JCti.

§. 13. Quid? quod non in suffragiis tantùm æquitatem illam naturalem æquissimi juris Romani Antistites observârunt, sed & in plerisque aliis causis hanc vim majori numero, ut minorem ad se traheret, dedere. Sic tempestate ortâ, ille demum jactus mercium justus est, qui explorata prius voluntate Mercatorum omnium aut majoris saltem partis fit. Vinn. *ad L. 2. §. 2. ad L. Rhod.* & Struvius *Ex. 20. §. 17.* aut si Mercatores ipsi non adsint, vel præsentes consentire nolint, id juris esse, ut ex reliquorum nautarum majoris partis consilio jactus fiat, Autor est Marquard. *de jure Merc. tit. de L. Rhod.* & Locc. *de jure Maritim. & Navali. l. 11. C. 7.* Similiter justam habent causam excusationis, quibus de majori tantùm bonorum parte controversia cum pupillo est: *l. 21. de Excus.* quodque in *d. l.* de majori parte, hoc in *§. 4. I. de Excus. tut.* de omnibus bonis prædicatur: Sic & major pars anni tantùm attenditur, ut res aliqua fundi esse dicatur vel negetur. *l. 18. §. 12. de Instructo.* Quin, hoc adeò à Doctoribus extenditur, ut major pars Creditorum, modò sint veri Creditores, possit concedere dilationem quinquennalem debitori invita minori parte, dummodo omnes sint præsentes, vel vocati, & decretum superioris interveniat, cùm aliâs alter alteri suo facto jus quæsitum auferre non possit, quod eleganter innuit Ulpianus in *l. 7. §. 19. de pact.* his verb: *Si verò dissentiant, tunc Prætoris partes necessariæ sunt, qui NB. decreto suo sequetur majoris partis voluntatem* & Papinianus *in l. 8. Eod.*

Quod

Quod si, inquit, *æquales sint in cumulo debiti, tunc plurium numerus Creditorum præferendus est:* Sic denique & Electiones à majori parte fieri debent. Tusc. *Concl. 66. lit. E.* & factæ à majori parte, factæ dicuntur in plena concordia. Gloss. *in Cap. cum olim.* verb. *Plena de re jud.*

§. 14. Equidem & in Imperii Germanici conventibus tam universalibus, quàm particularibus hanc pluralitatem votorum, ceu basin quandam, cui salus ac defensio Reip. & Civium innititur, unicè attendi, ex omnibus ferè Imperii Constitutionibus apparet, inprimis autem *ex R. J. de anno 1512.* §. Es sollen auch die Chur-Fürsten / *ibi:* oder mehrentheils aus Ihnen / *item R. I.* zu Eslingen *de anno 1526. in pr. ibi:* Und deme/so durch den mehreren Theil beschlossen würde/folge thun. *R. I. de anno 1576.* §. da dann die Sachen. *verb.* und bey Mehreren gelassen werde. Eandemque etiam Electores in novi Imp. electione ex sanctione Caroli IV. *in A. Bull. tit. 2.* §. und wann. & §. wann aber sie / *ibi:* Als ob die Wahl von Ihnen allen. inviolabiliter attendunt: Quamobrem, cùm Papa Episcopo Bambergensi potestatem concederet, ut civitates Germaniæ, quæ Ludovico IV. Imperiale fastigium & jura Majestatis strenuè contra Papam defendenti addictæ essent, ab excommunicatione solveret, eâ lege, ut Ludovicum pro hæretico haberent, ac ut pro hæresi perniciosissima agnoscerent, si quis Imperatori jus quoddam in Pontificem tribueret, jure meritoque Civitates Imperii, & inprimis Basileenses, teste Albert. Argentin. *ad annum. 1348.* Episcopo Bambergensi responderunt: *Sciatis, quòd non velimus credere, Ludovicum fuisse hæreticum, sed NB. quem major pars Imp. dederit, pro tali habemus, etsi non sit approbatus à Pontifice.* Nec adversatur, quòd Imp. eligendus sit concorditer per Reichs-Absch. *de anno 1566. in pr.* durch Unser und des H. Reichs Chur-Fürsten einhellige Wahl. Nam vox Einhellig non ad singulos, sed ad totum Collegium vel majorem ejus partem refertur; nec enim hîc concordia requiritur respectu singulorum, sed respectu totius actus, ad cujus perfectionem etiam majoris partis concordia sufficit *dd. Rec. Imp.* Ita per majora

In omnibus conventibus imperii illa etiam attenditur.

Collegii Electoralis anno 1697. Sextus ſecularis Electoratus cum non ſuffragio conſtitutus, atq; in Sereniſſimum Principem Erneſtum Auguſtum ratione Ducatus Brunſvicenſis ac Luneburgenſis collatus eſt. Perilluſtr. Dn. Præſ. *in Jure Publ. c. 13. §. 3.* Et hinc apparet quoque ratio, cur in Comitiis Deputatorum olim, cùm quatuor Romano Catholici Electores eſſent, & Tres Evangelici, hi alternatim quartum ſuffragium tulerint, cui conveniens & fas eſt, ut, cùm deinde 6. eſſent Pontificii & 2. tantum Evangelici, hiſce duobus tergemina vota competant: Quoniam enim in his Comitiis non unanimibus, ſed plurium ſuffragiis ſemper concluditur, Pontificii, utpote numero potiores, Evangelicos ſemper ſuperarent, quod extimeſcendum non foret, ſi majora in Deputationibus non attenderentur.

Pontifices in Electione nõ attendunt majora, niſi etiam ſint ſaniora.

§. 15. Perquiſitis igitur omnium fere Gentium unanimibus hac de re ſuffragiis, audiamus quoque Pontificios, Eorumque ſententiam, quanta fieri poteſt brevitate, exploremus: hi vero hoc jus N. quaſi ſupplere, nimiaque ſuperſtitione ei aliquid addere non dubitârunt: Putant nimirum non numerum tantùm hîc inſpiciendum, ſed rationem etiam, cui numerus iſte innititur, eſſe ponderandam; Unde, licèt Juris Gent. ac Juris Publici ſit, ut ille videatur electus, in quem major pars conſenſit, Canones tamen conſtituerunt, ut ille demum electus cenſeretur, quem major & ſanior pars elegiſſet, uti id luculenter apparet ex *c. 21.* verb. *Cùm conſtet Electionem de Præpoſito memorato à majori & ſaniori parte Capituli celebratam fuiſſe. & c. 22. 35. x. de Elect.* Quod tamen ita limitant, ut minor pars, quæ ſanior, rationabiliter contradicens, actus à majori geſtos poſſit quidem irritos reddere, non verò ideo prævaleat, quod patet ex omnibus textibus, ubi copulativè ſemper major & ſanior pars ponitur: *c. 1. de his quæ fiunt à Maj part.* ut proinde infringere quidem pars minor poſſit, quod à Majori conſtitutum eſt, *arg. c. 6. X. de Rebus Eccleſiæ alienand.* non autem ſuis ſuffragiis vigorem dare negotio, niſi unico in caſu, quo major pars *indignum in ordinibus ſcienter elegerit c. 22. x. de Elect.* ubi à minori parte Electus præfertur Electo à majori parte, ideo, quòd hæc doloſe ac fraudulenter

ter negotia tractando Electione ista indignam se reddidisset, Klock. *Consil 35. §. 352. & seqq.*

§. 16. Quænam verò dicatur major, quænam sanior pars, operæ pretium non duco, ut explicem: Major quippe pars respectu numeri: Johan de Anan. *Consil. 62. Colum. 3. verb. circa secundum.* Sanior autem pars respectu Autoritatis, Zeli atq; meriti dicitur. *c. 9. de Elect, in Sexto.* Johan. Anan. *d. l.* Ut proinde ii, qui vel in majoribus ordinibus constituti, vel ordine, ætate atque ordinatione reliquis sunt potiores, vel etiam doctrinâ autoritate & experientia cœteros superant, si majorem quoque numerum conficiunt, Sanior & major pars dicantur. *Quænam pars dicatur major & sanior.*

§. 17. Quæritur autem, an absurda prorsus hæc canonum sit constitutio, an verò aliquatenus tolerari & subsistere queat. Verum quidem est, quod abstractè a Jure Canonico, iisque conventibus, qui provocationem ad superiorem admittunt, hæc sententia esset iniquissima, jurique & Naturali & Gentium maximè contraria, quia pluralitas ideo attenditur, ut eò meliùs lites possint decidi, ejusmodi autem constitutio potiùs ad eas implicandas, quam explicandas faceret, cùm infinitæ semper super futuræ essent quæstiones, utra sententia sanior, & quænam Collegii membra reliquis eruditione, prudentia, autoritate, &c. præferenda. Quoniam enim ea hominum natura est, ut quisq; sibi blandiatur suamq: sententiam nullis rationibus vinci atq; superari posse existimet, cùm, ut nervosè JCtus: *Communiter homines de se & de sua perfectione plus sperent, quàm in iis est*, quis quæso de ratione, æquitate ac justitia alterutrius sententiæ judcaret, quid non monstri & rixarum esset metuendum, si singuli sua suffragia rationabiliora dicerent, ac potiùs de sua dignitate ac eruditione, quàm de ipso negotio disceptarent. Peractis enim suffragiis, tantum abest, ut sopita, ut jam multò major, quàm ante suffragia & geminata lis sit. Attamen, cùm Canones Pontificem tanquam superiorem agnoscant, quippe ex illorum hypothesi, si forsan dubitetur, quænam opinio æquitate alteram superet, possit declarare, quænam pars sit sanior, juxta ea, quæ asseruntur in *Cap. 6. in f. x. de Electione* verb: *Quia quod in iis dubium venerit* *Approbatur hæc Pontificiorum sententia.*

venerit, superioris poterit judicio decidi: ejusmodi sententiam, tanquam jus positivum, admitti quidem posse, sed tamen eo ipso jus & libertatem suffragiorum Collegio auferri facilè inter omnes constat: Gratianus *c. 36. Distinct. 63.*

In postulatione concordẽ omnium sententiam requirunt Pontificii.

§. 18 Singularior verò adhuc est sententia Pontificiorum in postulatione, quâ Capitulum superiorem rogat, ut eum, qui ob defectum eligi non potest, admittat in futurum ac si ritè electus esset. Hìc enim, optima quamvis ratione sufFulti sint, nequidem plurium, etiamsi saniores sint, attendunt vota, sed concordem omniũ requirunt sententiam: Quia enim postulatio non est juris, sed meri arbitrii & gratiæ, *d. c. 3. x. de Postul.* verb: *Non tam ex justitia quàm gratia.* ad impretandam ejusmodi incapaci gratiam, non sufficit, ut major ac superior tantùm Capituli pars in postulationem consentiat, sed hæc potiùs ab omnibus simul fieri debet, quod apparet ex *d. cap. 3.* verb: *Unanimiter.* Accedit, quòd contra Statuta Canonica ejusmodi incapax reliquis invitis obtrudi non possit, maximè, cùm postulatio fiat per modum precum, ad quas præstandas nemo adigi & compelli potest: perinde ac in jure nostro Civili olim ex fideicommissis nullum jus oriebatur, nullaque in fiduciario obligatio erat ad fideicommissum præstandum, donec *§. 1. I. de fideic. hered.* à Divo Augusto expresse constitutum, ut talia fideicommissa vim obligationis in herede induerent: Unde liquet, quòd superior quidem electionem confirmare teneatur, non verò postulationem, quippe quæ solas preces, nec quicquam juris continet, ut proinde postulatio à superiore, nisi omnes unanimiter consentiant, admitti nequeat.

Pro concorde etiam habetur pars duplo major.

§. 19. Quoniam verò, si unus vel alter, non tam ex æquitate quam malitia ac invidia contradicendo postulationem ferè unanimiter factam posset reddere irritam, facile contingeret, ut Ecclesia tali Prælato, qui forsan, non attento illo defectu, aliàs commodus ipsi esset, destitueretur, jure meritoque Canones electâ mediã viâ, hoc ita temperàrunt, ut postulantium pars duplo major sufficeret, id quod *ex c. 3. x. de postul.* abunde constat, ubi quidem asseritur, quòd major pars non debe-

debeat admitti, verùm in ſubjectis dicitur, quòd duplo major attendatur, idque omnium clarisſimè refertur in *Cap. 40. X. de Elect.* verb: *Quod ſi ad faciendum duplo majorem.* Et paulo poſt: *Si vero numerus poſtulantium inventus fuerit duplo major.* Et ejusmodi ſententia, quæ duplo majorem pro ſe partem habet, adeo concors & unanimis habetur in jure Canon: ut ipſi electioni præferatur *Cap. 40. x. de Elect.* nec ratione Zeli, ſanitatis aut meriti ullo modo infringi aut vinci poſſit, quod clarè infertur ex *c. 6. X. de Elect.* ubi electus hoc modo in Romanum Pontificem, nullà obſtante exceptione Papa eſt, adeo, ut qui contra ejusmodi deciſum quid moliatur *cum Datham & Abiram portionem accipere jubeatur. d. c. 6.* Idem & *in Cap. ſi quando 9. de Elect. in Sexto* affirmatur, ubi tamen hæc limitatio additur, *niſi tale quid objiciatur à reliquis, quod votum ejus, cui opponitur, redderet ipſo jure nullum.* Videantur Alex. *Conſil. 224. In re tam gravi num. 5. verſ. Accidit etiam lib. 6.* Tuſch. *Concluſ. 65. verb. Electio à Majori & Saniori parte debet fieri.*

Prima Exceptio, ubi majora non concludunt, eſt, quando res ad univerſitatem qua ſingulos ſpectat.

§. 20. Quamvis ergò ex iis, quæ dicta ſunt, liquidò & apertè conſtet, Concluſionem, ut ajunt, per Majora (quâ hîc voce uti licebit) non tantùm eſſe juris Naturalis, ſed Gentium etiam ac Civilis, & paucis tantùm caſibus Jus Canonicum ab ea deflectere, non tamen id attenditur, quando res, de qua agitur, pertinet ad univerſitatem, non quâ univerſitatem, ſed quâ ſingulos: Bartolus *ad L. quod Major. ff. ad Municip.* quo caſu unanimis omnium approbatio adeſſe debet: Quod ut intelligatur, notanda ſunt duplicia jura ſocietatis, publica ac privata: hæc ſingulis & quatenus ſeorſim, non ut membra Collegii conſiderantur, competunt, eaque retinent, etſi à ſocietate illa recedant; Illa verò ſunt jura totius univerſitatis, & de his nemo niſi membrum iſtius Collegii participat, nec, ſi diſcedat, ea retinet, quia cuivis tanquam membro Collegii ea inhærent. De his ergo intelligenda ſunt ea, quæ ſuprà fuſiùs explicavimus, non de illis, quippe quæ aſſenſum requirunt omnium,

quia,

quia, quod omnes tangit, ab omnibus quoque approbari debet *Cap. quod omnes tangit de R. J. in Sexto. l. 11. ff. de Serv. præd. Rust. l. f. C. de Autor. Præstand.* Faber *in Cod. l. 9. tit. 20. Def. 18.* Et in pari causa melior est ratio prohibentis *l. 28. ff. Comm. Divid. & ibi Gloss. Cap. In Re Communi de R. J. in Sexto.* Adeo, ut si 100. essent, quorum approbatio petitur, 99. uni dissentienti præjudicare non possent *arg. d. l. 11. de Serv. Rust. & l. 8. de Pactis.* Conferantur DD apud Klock. *Consil. 35. n. 307. & seqq. & num. 329. & seqq.* Accedit, quòd nemo ex facto alterius prægravari debeat. *L. si quis suo §. Legis C de Inoff. testam.* Menoch. *de Arb. Judic. quæst. cas. 504. n. 24.* quod fieret, si alii nostram voluntatem sibi subjicere & jus nobis quæsitum auferre possent.

Hinc majora vota non attenduntur, quando status ut unum corpus spectari nequeunt.

§. 21. Unde sequitur, quòd, quoties status ut unum corpus spectari non possunt, majora quoque non valeant. Illustr. Dn. Præs. *in Jure Publ. c. 20. §. 36. n. 3.* Hoc enim est fundamentum & primaria quasi ratio, quòd, si jus pertineat non ad Collegium quâ tale, sed ad singulos, per majora jus quæsitum auferri non posit, sed per unanimia: v. g. si quæratur, an hic vel ille Status juribus regalibus in suo territorio gaudeat, hæc enim ad jura cujusque status separatim spectant, non ad causam Imperii in genere, ut bellum, pax, fœdera &c. Similiter in alienationibus rerum Ecclesiasticarum, ob majoris partis consensum minor hos actus approbare invita non tenetur. Baldus *in L. Etiam. n. 28. C. de Execut. Rei jud.* Et quæ sexcenta alia deduci inde possent, de quibus videri potest Klock. *dd. ll.* & Tusch. *Conclus. 15. verb. major pars nil operatur.* Id tantùm addam, quod apud Petrum Svavem *Histor. Concil. Trident. l 4. p. m. 788.* extat, ubi Parlamenti Parisiensis hæc habetur sententia; *Totius universitatis autoritatem ad majorem partem transferri, cùm causa omnium est communis, & singulos non attingit: verùm, quando tota causa ad omnes spectat, & sua singulis pars debetur, hoc casu uniuscujusque consensum esse necessarium, & prohibentis conditionem potiorem, atque absentes, nisi suffragantes, minimè obligari.*

§. 22. At-

§. 22. Atque hinc decidenda venit intricatisſima illa & magni momenti quæſtio, an in Collectis Imperii pluralitas, an verò unanimitas ſuffragiorum obtineat? Prius affirmat Reinking. *de Regim. Secul. l. 1. Claſſ. 5. c. 8. n. 72.* poſterius contrà Wahremundus ab Ehrenberg. *de Regni ſubſid. & Oner. ſubdit. c. 5. n. 53.* Et certè ambiguum videtur, an ſtatus hîc conſiderentur ut unum Corpus, cùm cauſa Collectarum ad Univerſum Imperium pertineat, an ut ſinguli, cùm de ſuo, liberâ Voluntate & Conſenſu eas ſolvant; quamobrem hæc quæſtio acerrimis contentionibus adeo ventilata ac involuta fuit, ut in Pace Osnabr. art. 5. expreſsè conſtitutum, ut, quoniam decidi in iſto congreſſu non poſſet, ad proxima Comitia remitteretur; Iverunt namque Ordines Imperii in 3 diverſas ſententias, & Auguſtis quidem Archi Principibus quodammodo pluralitas votorum placuit, quibus in Senatu Principum Romano Catholici quoque, ſed ſub hac lege aſſenſerunt, ut ordo priùs ac juſta oneris proportio inter Status determinaretur: Limn: Enucl: *l. 4. c. 72. §. 49.* Contrà Evangelici neceſſarias inter & voluntarias Imperii Collectas diſtinguendum eſſe exiſtimârunt, & in illis quidem pluralitatem ſuffragiorum conceſſerunt, quôd mora trahi, niſi cum maximo Reip. detrimento, non poſſet, at in his conſenſum omnium neceſſarium eſſe duxerunt. Civitates denique aliam longe ſententiam amplexæ ſunt, & in actibus univerſitatis, ubi de rebus non ut univerſitatem, ſed ut ſingulos concernentibus tractatur, majoris partis approbatione non fuere contentæ, ſed omnium omnino aſſenſionem requiſiverunt, opinantes, idem jus, quod in cauſa religionis obſervatur, & hîc commodè applicari poſſe, iniquúmque videri, ſuffragiis aliorum, qui minus ſæpe oneris ſuſtinent, & exiguam tantùm ſummam ſolvunt, noſtris opibus fieri præjudicium, & quas alias Limn: *tom. 5. Juris Publ. l. 9. c. 1. n. 182.* affert rationes.

Qu: an in Collectis Imperii pluralitas obſervetur.

§. 23. Equidem, licèt hæ ſententiæ omnes ſatis firmis nitantur argumentis, cùm pro Electoribus ac Principibus Catholicis militet, quòd cauſa, ob quam Collectæ indicuntur, non

Diſtinguendū videtur inter neceſſarias ac voluntarias Collectas.

non planè ad ſingulos pertineat,ſed univerſum quoq; Imperiū concernat, Civitates vero ſe fundent in eo quòd de cujusq; ſtatus onere hîc agatur, proindeque invito jus quæſitum auferri non poſſit, ſubſcribit tamen Conringius Evangelicorum Principum opinioni & diſtinguit inter neceſſarias & voluntarias contributiones: In his unanimia requiri jam traditis conſonum videtur: Licet enim cauſa, ob quam exiguntur, ſit publica, adeoque major pars meritò prævalere debeat, quoniam tamen hîc agitur de auferenda re, ad quam Status neutiquam tenentur, ſed quam liberrima voluntate de ſuo contribuunt, eapropter & Eorum omnium, qui contribuere debent, conſenſus explorandus omnino videtur, ne jus quæſitum, hoc præſertim caſu, ubi vel nulla, vel ſaltem dubia Reip. eſt neceſſitas, citra proprium factum alicui auferatur: Ne tamen idem quoque ad neceſſaria Reip. onera applicetur, hæc ratio movet, quod Resp. ſint juris Naturalis & proinde omnia, ſine quibus illæ labefactarentur aut corruerent, qvod fieret, ſi contributiones neceſſariæ negligerentur, ut adeò omnes, qui in Rep. ſunt, ſi neceſſitas immineat, ad eas conferendas naturali jure teneantur. Jam verò, quoniam vel rarò admodum contingeret, ut collectæ neceſſariæ juſto tempore haberentur, ſi ab unius aut quorundam voluntate dependeret, quid, quantúmque tribuendum ſit, dicendum videtur, Salutis publicæ cauſâ, hoc in caſu pluralitatem ſuffragiorum ſufficere. Cæterum in omnibus ſententiis aliquid invenitur præclari, ſed nos in re publicè agitata, judicium magis ſuſpendimus.

Ex eadem ratione nec majora constituendis Vectigalibus ſufficiunt.

§. 24. Ex eodem ergo fonte decidenda quoque eſt illa quæſtio, quæ circa conſtitutionem atque conceſſionem vectigalium movetur; Equidem non omnium omnino Statuum, ſed Imp. tantùm & Procerum conſenſum in iis conſtituendis requiri, ex multis paſſim Receſſibus Imp. probatur, & inprimis *ex R. J. de anno 1576.* §. Weiters ſind wir auch *& ſeqq; Capit. Leop. art. 21. & ſeqq. Capit. Jos. art. 20.* Conf. Illuſtr. Cocc. *in Juris Publ. prudentia c. 14. §. 9. & c. 23. §. 44.* It. Colerus *de Jure Imp. Germ. Concluſ. 31. artic. 18.* Sed

quod

quod maximè quæritur, illud eſt, an Electorum unanimis conſenſus eliciendus, an verò pluralitas ſuffragiorum attendatur : Prius deciſum tandem eſt Capitul. Leopold, *art. 21.* & conſequens eſt eorum, quæ antè dicta ſunt. Nam, quoniam vectigal non ſubditorū tantùm,ſed & vicinorum, imò omnium, qui per loca hæc tranſeunt, onus eſt, eoque ſtatuum etiam, quâ ſingulorum jura infringuntur, optimè conſtitutum fuit, ut non majoris tantùm partis Electorum habeatur ratio, ſed concors planè omnium adſit ſententia, cùm omnium aliàs ſtatuum, quos Electores in his aliisque negotiis ſuo jure repræſentant, conſenſus fuiſſet neceſſarius.

§. 25. Huc pertinet etiam indeciſa hactenus &, vel ob rei momentum, vel difficultatem, ad Comitia rejecta controverſia, An articulus Pacis Weſtph. vel lex Imperii, ex qûa jus forte Statui quæſitum eſt, per majora mutari poſſit : Grundfeſt *part. 3. c. 7.* Et ſanè, ſi ad illud tantùm principium recurram, quod jus quæſitum neè per majora, nec unanimia, niſi & is, cui hoc adimitur, conſentiat, auferri prohibet, tota hæc quæſtio, quamvis difficilior, ſuâ tamen ſponte facile, corruet ; Perinde enim, ut in dominiis privatis, neglecto cōſenſu ejus, cujus jus eſt, legitimos noſtræ facultatis, terminos transgredimur, ſuum alteri auferendo, ita & hîc, ubi ſtatus, non ut univerſitas ſed ſinguli, quibus peculiare ex pace jus datum eſt, ſpectantur, iniquiſſimum eſt, jura iis ex pacto vel tranſactione (pacis quippe articulus inter ſtatus valet, non ut lex, ſed ut pactio:) legitimè quæſita, citra Eorum diſpoſitionem eripere. Alia autem quæſtio eſt, cuinam interpretatio illius Pacis & mutatio legis, exqua nemini forte ſtatuum jus adhuc quæſitum, competat? Certe hoc caſu non alienus ſum ab eorum ſententia, qui Comitiis id vindicant, cùm ejus tantùm ſit interpretari leges, cujus eſt condere, Minimè itaque Cameræ, quoniam hæc cauſis privatorum, non publicis Imperii negotiis præpoſita: ſed unicè illud ſtatibus, idque per majora attribuendum erit, niſi natura negotii adverſetur & unanimia omnium ſuffragia deſideret, uti ſunt cauſæ religionis & Eccleſiaſticæ, de quibus §. 32. 33. 34.

Nec articulus Pacis Weſtphal. propter eandem rationē mutari poteſt, ſi jus alicui exinde quæſitum ſit.

§. 26. A-

Secunda Exceptio est in iis Collegiis, ubi quisque jus agendi habet in solidum,

§. 26. Alia exceptio, ubi pluralitas votorum non attenditur, est in iis Collegiis, in quibus quisque jus agendi habet in solidum: Uti enim in iis Corporibus, quorum membra, non singula per se, sed junctim summa potestate gaudent, pars major ad se trahit minorem, ne finis, ob quem hujusmodi Collegium constitutum, frustretur, ita è contrario hîc, ubi non penes Collegium, sed penes singulos est summa potestas, unius dissensus sufficit ad cœterorum negotia impedienda, quia non potest pars major vel minor spectari, ubi cuique jus in solidum est, tum enim alter tantundem juris habet ad prohibendum, ac alter ad agendum: Exemplum habemus in tutoribus; Hi enim etsi omnes nullâ factâ divisione, administrationem in se susceperint, non tamen necesse est, ut omne negotium per omnes tutores & omnibus præsentibus geratur, quia quisque tutor est in solidum, verùm, si gerenti unus vel alter contradicat, non valet quod actum est, etiamsi ab una parte plurimi conveniant, quia in communi causa melior est conditio prohibentis: Igitur quisque tutor jus gerendi quidem habet in solidum, sed ita, ut altertro invito nihil geri possit. Idem quoque obtinet in Rep. Belgica & Helvetica, sive de Pace, sive de bello, seu de commerciis agatur, quia unaquæque Provincia Majestate ac summis juribus in solidum gaudet, uti id de fœderato Belgio testatur Temple *dans ses Remarques sur les Provinces Unies c. p. 152.* qui tamen in eo peccat, quòd non hanc quam nos sed eam adducat rationem, quod fœdera, pax, bellum, res monetaria &c. sint res magni momenti, cùm tamen, quò majoris ponderis sunt negotia, eò faciliores in sequendis plurium suffragiis esse deceat, ne propter eorum moram detrimentum quoddam in Remp redundet: Verba autem ejus hæc sunt. *C'est la maniere, dont on en use en toutes les affaires ordinaires qui se presentent à Eux : A la reserve des affaires, de la paix & de la guerre, des aliances, de battre la Monnoye, ou d' en Changer la Valeur, ou d' alterer le Privilege de quelqu'une des Provinces, ou membres de l' union : car en toutes ces cas, il faut necessairement, que le Consentement Unanime de toutes les Pro-*

vinces

vinces y intervienne, & l'on n'y considere point de tout la pluralite:
Et in pr. d. cap. *Il y a plusieurs choses, qui ne peuvent pas etre Conclües dans les Assemblées des Etats de la Province à la pluralite, mais seulement du consentement unanime de toutes les voix.*

§. 27. Alia denuo Exceptio, ubi majora non respiciuntur, est, quando omnibus Collegii membris, quæ jure vocare debuissent, conventus Collegii non fuit denunciatus: *l. 2. C. de Decur.* & ibi Bartolus: Mev. *P. 4. Dec. 21.* Quanquam enim, si judicium apud Senatum vel aliud corpus sit, non præcise omnium requiratur præsentia, cùm singuli ibi non judicent, sed corpus, quod præsentatur à Præsentibus & vel in uno conservatur, etsi à tribus tantum inchoari possit, *l. 7. §. 2. quod Cujus. univers. nom.* iniquum tamen est, & contra intentionem societatem ineuntium, absentes coitione ac conspiratione plurium juribus suis, quibus ignorantes renunciâsse dici non possunt, citra culpam privari, ut proinde hoc in casu, cùm totus actus omnibus non vocatis, nullus sit, præsentium etiam pars major concludere nihil validè possit.

Tertia Exceptio est, si ii non vocati, qui jure debuissent.

§. 28. Hinc verò insignis illa quæstio exsurgit, an uno vel altero Electore ad Electionem Rom: Regis non vocato, Electio idcirco retractari ac annullari possit? Reinking. *l. 1. Class. 3. c. 3. § 20.* indistinctè hoc asserit per text: *Aur. Bull:* Auch setzen und Ordnen / verbis: Allen seinen Geistlichen und Weltlichen Mitchurfürsten solche Wahl durch seinen öffentlichen Brief und Bothen / soll verkündigen / cui tamen sequens §. Wann es auch dazu directò contrariatur, ubi ita dicitur: Und wo der Ertzbischoff vielleicht damit säumig / oder hinderläßig wäre / alls dann sollen die Churfürsten aus eigener Bewegnüß unberufft / in Krafft und bey Ihren Treuen / die Sie dem Königreich schuldig sind / inner 3. Monathen in der offt genannten Stadt Franckfurt zusammen kommen einen König zum künfftigen Käyser zu erwehlen. Optimè ergo Illustr. Dnus Præses, *Cujus incomparabili ac stupendæ Eruditioni, redditum in jurium publicorum prudentia nobis lumen unicè debemus, in jure Publ. c. 1. §. 10.* distinguit, utrùm Archi Officiales Imperii ad Electio-

Unde quæ: an Electio Imp. omnibus non citatis, idcirco annulletur.

ctionem Regis mortuo, an vivo Augusto convocentur. Priori casu citatio non est necessaria, sed potiùs Electores ad locum Electionis, etiam Moguntino intimationem negligente, proficisci tenentur, præsentesque per majora absentibus, etiam non citatis, præjudicant. *Aur. Bull.* §. **Wann es auch dazu.** Cùm enim mortuo Imp. intra certum tempus ad alium certo loco eligendum, ex ipsa dispositione legis se sciant obligatos, certè, si non comparent, eo ipso renunciâsse juribus suis, præsentibusque sua suffragia dedisse censendi sunt: Posteriori casu omnes & singulos convocari æquum est, ita, ut neglectâ ejusmodi citatione, electio jure nulla dici ac declarari possit, quia, quoties solennitas à lege introducta deficit, ipso jure actus non subsistit. Gail. *1. Obs. 124. num. 4.* Buxtorf. *in Diss. Aur. Bull. Concl. 18.* Quin contingere posset, ut tot essent electiones, quot eligentes. *c. 55. X. de Elect.* Et certè, plus obest unius Principis non vocati contemtus, quàm multorum contradictio: Petrus de Andl. *l. 2. c. 12.* Hinc quondam Rex Bohemiæ, cùm vocatus non esset ad Electionem, eam improbare & jus suum armis vindicare voluit, sed interpositione reliquorum motus Electionum postea ratam habuit. Reinking. *l. 1. Class. 3. c. 3.* §. *25. & seqq.*

Solvitur quæstio an serò veniens pluralitatē suffragiorū facere possit.

§. 29. Alia adhuc difficultas est, an, qui citatus quidem, sed serò veniens medio tempore accessit, adhuc ferre sententiam pluralitatèmque suffragiorum facere queat? Ubi distinguendum videtur, utrùm ille accesserit re integra, v. g. intra tempus deliberationi præfixum, quo in casu, quoniam Ejus est jus deliberandi & suffragium dandi usque ad finem illius temporis definiti, procul dubio hoc jure adhuc gaudebit: quin, licet suffragia jam lata & calculi subducti essent ante lapsum illius temporis, quod præfinitum erat suffragiis ferendis, nihilominus suum adhuc suffragium, si fortè momentum in eo fuerit, addere potest, quia ipsi in illo senatu in omnibus causis jus suffragandi integrum est. Si verò post tempus præfinitum & re non amplius integrâ accesserit, cùm jus suffragandi finitum sit, sententiam quoque non feret. Exemplum vid. apud Plutarchum *in vita Caton.*

ron. Maj. in causa Lollii, cujus etiam in *sect. 2.* §. *9.* mentionem fecimus.

§. 30. Et hæc de Collegiis, ubi non singuli, sed Collegium tantùm attenditur, sunt intelligenda, aliter autem in judicibus delegatis & arbitris obtinet, ubi major pars præsentium nequidem valet, etiamsi omnes fuerint citati, nisi & omnes adsint, quia tot sunt judices, quot fuerunt delegati. *l. 39. de re jud.* Et omnibus commissum est arbitrium, cujus fines transiri non debent. *l. 17.* §. *f. de Rec. Arbitr.* Accedit, quòd nec partes aliter possint obligari, nisi ex tenore compromissi, consenserunt autem in plures, adeoque & hi omnes arbitrari debent. Quamvis usu sufficere putent Doctores, ut omnes citati sint, uti Busius *ad l. 16. de Rec. Arbitr.* contra Cz. *p. 1. c. 1. D. 14.* Quam tamen Busii sententiam jus Canon: quod in Processibus sequi solemus, approbat. Cæterùm, si præsentes omnes fuerint, invicem verò dissenserint, sine dubio pluralitas suffragiorum servabitur. *l. 39. de Re jud. Cap. causam. de Officio Deleg.* Feder. *Consil. 1. n. 2.* verb. *Præterea sive dicamus & num. 3.* verb. *Præterea ad hoc.*

Quarta Exceptio est in Delegatis, si quidam absint, etsi omnes citati.

§. 31. Porrò nec plurium suffragiis statnr in iis negotiis, quæ Decisioni Collegii cujusdam non subjacent. Mev. *p. 4. Dec. 210. n. 3. & seqq.* frustra enim de computatione suffragiorum quæritur, quando dispositio non valet. Uti, si majora statuant, quod juri N. ac divino contrarium est, quo casu tantum abest, ut major pars vincere debeat, ut ipso jure nullum sit quod agitur, eoque potiùs cedere majorem minori oporteat, quod & fœdere inter Athenienses & Peloponnesos erat cautum: *Id valere, quicquid major pars sociorum decrevisset, NB. nisi quod Deorum vel hominum impedimentum intercederet.* Thucydides *5. p. 298.* Idem juris est, quoties id à plurima parte defenditur, quod Legibus ipsius Universitatis repugnat. Ita Universitas, licèt pluribus suffragiis possit facere, ut quis admittatur ad Consilium, non tamen potest uno invito communicare suffragium ei, qui jus suffragandi non habet: Abbas *quæst. 1. Colum. 20.* verb. *Non tamen puto.* Tusc. *Conclus. 15.* verb. *Major pars nil operatur.*

Quinta Exceptio est, quando facultas decidendi non est penes Collegium.

§. 32. Ta-

Uti in causa Religionis. §. 32. Tale etiam negotium est causa religionis ac conscientiæ, ubi non statim quæritur de eo, quod forte ex utilitate Reip. major pars concludit, sed quod cujusque conscientiæ ac fidei, seu animo satisfacit, cùm suorum quisque facinorum redditurus sit rationem *Rom. 14. v. 12.* Quamobrem Thuanus *l. 22.* ait. *Capita controversa non secundùm suffragiorum numerum, ut in Civilibus causis fieri consvevit, decidantur, sed juxta divini verbi regulam ac præscriptum sanciantur*: Ad hæc suffragia majora locum tantùm habere possunt in negotiis societatis civilis, quæ ab arbitrio humano dependent, à quibus, cùm diversa plane sit causa conscientiæ & religionis, utpote, quæ causa Dei ac in ejus solius potestate est, & ad normam tantùm S. Scripturæ dijudicanda, *per text. in Cap. Relatum. Distinct. 38. & Cap. Vino inebriantur. Distinct. 37.* mirum non est eam ab hac regula excludi; Imò, cùm totum gratiæ divinæ negotium cum nullo hominum, sed solo Deo intercedat, quanta societatis humanæ audacia foret, de interno sanctissimoque summi Creatoris Cultu, & de hominis animo ac conscientia, quæ ne in ipsius quidem arbitrio est, per majora quid constituere, & secundùm hominum opiniones & deliria Dei honorem metiri: Vid. latè Reinking. *de Regim. Eccles. l. 3. Class. 1. c. 4. §. 20. & seqq.* & Limn. Enucl. *l. 4. cap. 72. §. 48.*

Hoc quoque observatur in Comitiis, quòd in causa religionis numerus votorum non attendatur. §. 33. Quamobrem, teste Wahremundo ab Ehrenberg *de Regni subsid. & oner. Subd. c. 2. n. 19.* in Comitiis Imperii nullum vulgatius axioma est, quàm in causa fidei majora suffragia non obtinere, idemque in *c. 6. n. 53.* scribit, quosdam ex Electoribus & principibus Imperii anno 1598 fisco in Camera Imperiali se opposuisse, ideò quòd plura suffragia in causa religionis dissentientes non obstringant, in qua Sententia & Mauritium S. Electorem fuisse ex Sleidano *l. 24.* patet, qui & idem illud de Protestantium Oratore Pontano & Philippo Magnanimo Hassiæ Landgravio asserit *l. 17. p. 42.* ferturque ultimus Eorum ita Granvellano respondisse: In fidei negotiis non est considerandum, quid maxima pars opinetur, sed quid verum sit. Sleid. *l. 17. §. 112.* Confirmant id quoque *Rec. J. de anno 1530. in fin. pr.* ibi. **Und eines jeglichen gutdüncken und Mei=**

Meinung sich selbst in Liebe und Gütigkeit zu hören / und zu erwegen / die zu einer Christlichen Wahrheit zu bringen / und zu vergleichen / *& R. J. 1545.* §. Und sollen solche *ibi.* Und hierinn allein auf die Ehre GOttes und wahre Christliche Religion und *Information* der Kirchen sehen : & paulo post: Nach Göttlicher und der Alten Väter H. Schrifft und Lehre. Nec aliàs in Comitiis opùs foret deliberatione, cùm certum sit, quamlibet partem secundùm rationes suæ religionis suffragia laturam, eoque Pontificii, utpote numero potiores, semper prævalerent, quod & Evangelici in Comitiis Ratisbon. an. 1613. proposuerunt: Daß Sie in Sachen den Religions-Frieden betreffend / durch die *majora*, die der ander Theil, im Fürsten Raht ohnzweifel für sich hat / und jederzeit nach seinen Willen machen kan / sich nicht gefährlich binden und von Land und Leute und aller Wollfahrt *votir*en lassen könten. Idemque ad gravamina illa pars adversa respondit. Man wuste woll / daß in gewissens Sachen die *Majora* nicht gelten. Limn. Enucl. *l. 4. c. 72. §. 49. 51.*

§. 34. Quod diximus de causa religionis, idem etiam obtinet, quàndo quidem causa directò religionem non concernit, attamen per indirectum intervenit religionis negotium, aut, ubi diversæ religionis præjudicium & intempestivus plerumque Zelus, quasi conscientiæ ratio, præponderare potest juris æquitati, uti, si inter Catholicos & Reformatos de eo disceptetur, quod ut fiat, vel ne fiat, alterius partis ob prædictum Zelum interest, hoc casu, quoniam certum est, quemlibet in partem suam religionis opinione inclinaturum, reliquis Evangelicos numero longè superantibus, æquissimum certè est, ut victoria ab unanimi consensu dependeat, nec numero suffragiorum deferatur : Illustr. Dn. Præs. *Jure Publ. c. 20. §. 36. n. 2.*

Quo refertur, quando dissident Pontificii & Evangelici.

§. 35. Alii adhuc addunt, majora nec tunc valere, quando majorem numerum efficiunt ii, quos ex Lege vel consuetudine tanquam suspectos sententiam ferre non oportet. Sed hæc distinctio parùm placet; Vel enim suffragia per modum judicii feruntur, quo casu suspecti suffragium suspendere & discede-

Refellitur ratio, quæ plurima suffragia respuit, quando quidam in Collegio suspecti sunt.

diſcedere debent è judicio, ne opus ſit, vulneratâ demum cauſâ remedium quærere ; vel ex libero arbitrio, & tum de ſuſpecto non quæritur: uti in Collegiis, ubi ſibimet ipſi quis ſuffragium dare poteſt. Limn. *l. 1. c. 14. §. 16.* Ita nonnunquam Patris ſuffragium filio, & fratris fratri prodeſt *per l. 5. & 6. ff. Quod Cujusc. univerſ. nom.* quia in publicis negotiis vinculum ſocietatis domeſticæ, & fictio illa Juris, quod Pater & filius habeantur pro una perſona, non attenditur. Brunn. *ad l. 6. ff. Quod cujusc. univerſ. nom. n. 3.* Tale etiam eſt Collegium Electorum, ubi cuivis ſuo ſe ſuffragio nominare licitum eſt, id quod ex *A. B. c. 2. §. f.* ſatis conſtat, cujus hæc ſunt verba: *In caſu, quo 3. Principes ſive abſentium nuncii quartum ex ſe, ſeu ipſorum Conſortio, videlicet Principem Electorem vel abſentem in Regem Romanorum elegerint, vocem Illius Electi, ſi præſens fuerit, aut nunciorum ipſius, ſi Eum abeſſe contingerit, plenum vigorem habere & eligentium augere numerum, partemque majorem decernimus conſtituere, ad inſtar cæterorum Principum Electorum:* Ita Elector Palatinus Rupertus, cùm Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis ſuffragia ſua in Eum contuliſſent, ſuæ Electioni conſentiens Imperator electus eſt. Buxtorf. *ad A. B. th. 39. lit. A.* Idem de Sigismundo refert Dubrav. *lib. 23. Hiſtor. Bohem.* Add. Limn. Enucl. *l. 1. c. 14. §. 16.*

Afferuntur plures caſus, ubi majora non valent.

§. 36. Pluresquidem adduci hic poſſent exceptiones, ubi nulla pluralitatis ſuffragiorum habenda eſſet ratio, ut, ſi majoris partis Electio, vel contra aliquam Imperii conſvetudinem, vel in Reip. præjudicium vergeret: Gylman. *Deciſ. Cam. 8. n. 20.* vel ſi per Eam Leges forte fundamentales ſub verterentur, aut privatorum jura, veteresque & publicæ utilitatis causâ receptæ conſuetudines abolerentur. Limn. Enucl. *l. 4. c. 72. §. 50.* Vel denique, ſi ex jure & ſtatuto ſpeciali aliud introductum ſit. Puffend. *l. 7. c. 2. §. 16.* ſed, cùm nimis longum hoc foret, omnesque quæ ſuperſunt exceptiones, modo Eas ſecundum ſupra memoratas regulas metiamur, decidi facile posſint, earum tractatione ſuperſedebimus.

Sequitur quæſtio, quomodo com-

§. 37 Poſtquam ergo ſatis ſuperque vidimus, in bene conſtitutis Rebusp. unicum & neceſſarium omnis deliberationis

onis finem eſſe pluralitatem ſuffragiorum, diſcutienda tamen priùs quam Colophonem præſenti ſectioni addamus, hæc erit quæſtio: Quomodo computatio majoris partis facienda ſit. Multi DD. hîc ſtatuunt, perinde uti fructus & commoda pro rata rerum ac juriſdictionis dividuntur, ita & ſuffragia computari æquum eſſe, quos inter eſt Felden. *in not. ad Grot. l. 2. c. 5. §. 17. verb. Habent autem omnes.* Et ipſe Grotus in *Cap. 5.* §. *22.* qui putat, Sententias pro rata ſeu proportione menſoria, id eſt Geometrica eſſe decidendas: Sed uterque aberravit Quando enim res inæqualibus partibus communicata eſt, tum res vel fructus quidem commode dividi ſolent, quia ſunt res dividuæ & ex qualibet parte naſcuntur, ſecus autem hoc eſt in ſuffragiis, quæ perſonæ inhærent, & quæ unus naturaliter pro parte ferre nequit, quia ſunt res individuæ, nec partes habent; quoties verò res individuæ pluribus competunt, cuique eæ competunt in ſolidum, adeò ut ſi 2. concurrant in juriſdictione & unus forte ſextantem, alter dextantem rei habeat, hic tamen invito & non conſentiente altero, ſuo ſuffragio nîl quicquam moliri poſſit, quia ſuffragium eſt res individua, & licet plurimi concurrerent, valet tamen regula, quòd in re communi melior ſit ratio prohibentis. Multa quidem paſſim apud Hiſtoricos extant exempla, quæ ſolidam illam acutisſimamque Illuſtris Dni Præſidis ſententiam infringere videntur, ſed omnia hæc facili negotio, dummodo penitius inſpecta fuerint, componentur: Suffragia enim, vel ex pacto deſcendunt, & tum nullum eſt dubium, quin pacta, quemadmodum in aliis legem dant negotiis, ita & hîc uni aut alteri plura ſuffragia concedere poſſint; aut vero ſuffragia præter ſuam naturam non perſonis, ſed terræ in hærent, quà ratione pro modo terrarum aut juriſdictionis numeranda quoque eſſe ſuffragia nullus dubito. Priori caſu convenit, quod Strabo memorat apud Grot. *d. l. 2. c. 5.* §. *22.* Lybicam nimirum & 3. vicinas urbes, cùm in unum quaſi corpus coiviſſent, inter ſe conveniſſe, ut aliarum ſingula eſſent ſuffragia, Lybicæ bina. Similiter Philippo Macedoni poſt confectum Phocenſe bellum

putatio majoris partis facienda.

 bellum

bellum concessum fuit, ut gemini suffragii jus usurparet: referente id Diodoro Sicul. *16. 61.* Quòd autem pro modo ac magnitudine terrarum suffragia quoque sæpiùs computentur, hoc in ipsis Principatibus videre est, ubi, qui plures Principatus possidet, plura quoque inter Principes suffragia habet: Ita in præsentatione Patronorum, si quis habeat dimidiam juris Patronatus, & alii decem aliam dimidiam, præsentatio facta ab habente dimidiam & ab uno ex decem alterius dimidiæ tantùm attenditur. Federic. *Cons. 1. num. 3.* Et Tuscl. *Conclus. 14. Major pars multa operatur* §. *18.* Quod adeo verùm, ut non tantùm geminari, sed & dividi suffragia possint; uti si v. g. territorium, cui inhæret suffragium, dividatur: quo tamen casu non tam hoc suffragium divisum, quàm reliqua geminata intelliguntur, vel non erit pro suffragio, nisi uterque conveniat, & quasi pro una persona habeatur: Ita & in Canonicatibus suffragia semper dividuntur, quando sc. non personæ sed Canonicatui jus suffragii cohæret, isque fortè in divisionem venit.

Unde quæritur, quomodo 3 Collegiorum in Comitiis suffragia inter se sint computanda

§. 38. Atque hac occasione non inepte itidem indagatur, quomodo in Comitiis tria Collegiorum suffragia inter se sint computanda. In hac verò quæstione omnino distinguendæ sunt causæ, in quibus unanimia requiruntur, videlicet causa religionis & alia negotia Ecclesiastica, de quibus. §. *32. 33. 34.* hoc enim casu singuli Electores & Principes viritim spectantur, Prælati verò minores, qui populum repræsentant, nec Principum nùmero sunt adscripti, ut & Comites ac civitates ratione scamnorum seu Curiarum voluntatem suam declarant: Illustr. Dn. Præs. *In jure Publ. c. 20.* §. *15. & seqq.* Si verò causa talis non sit, collegialiter, non ut singuli spectentur, planè alia suffragia Colligendi atque computandi est attendenda ratio. In Senatu enim Electorum ordo suffragandi in *A. B. tit. 4.* à. Carolo IV. præscriptus observatur, ut scilicet, si votis omnium exploratis, nec omnes, nec plures consentire contingat, secundâ, tertiâ & tot vicibus suffragia denùo exquirantur, donec vel omnes conspirent, vel major saltem pars decidat: Autor **der Grundfest** *p. 2. c. 4.*

Colle-

Collegio autem Principum, licet Prælati, Comites & Barones accenſeantur, Ill. Dn. Præſ. *d. c. 20.* §. *27.* alia tamen horum, alia illorum ſuffragia ferendi ratio eſt. Principes enim proprio jure comparent, Prælati vero Clerum, Comites & Barones reliquum populum immediatum repræſentant, unde facile colligere eſt, Principum vota viritim exquirenda eſſe, hos autem, perinde ut populum, quem repræſentant, per curias tantummodo ſuffragia dare. Etenim abſurdum foret, ſi Prælati ac Comites, ſub quo Collegio etiam continentur Barones, ſuffragia viritim ferrent, cùm Principes numero longe ſuperent, adeoque multitudine Sententiarum omne Principum jus ad ſe trahere poſſent: Doctisſimus Conring. *Diſſ. de Comit.* §. *50.* & Limn. *Jur. Publ. tom. 5. n. 143.* Hi ergò ſecundum ſuas curias vota colligunt, donec ex conciliatis ſingulorum Principum, binis Prælatorum, 4. Comitum votis Illuſtris hujus Collegii concluſum redundet. Deniq; etiam Civitates exploratis ſingulorum ſententiis, bina ſuffragia, quæ ratione duorum Scamnorum, Rhenenſis & Svevici, ipſis competunt, ita conciliant, ut unum inde deciſum proveniat: Quod ſi jam tria illa collegia ſigillatim, vel per majora, vel per unanimia Concluſum quoddam conceperint, tum unum quodque ſuffragium ſuum confert, ut appareat, quid Electorum, quid Principum, quid Civitatum denique Collegio placuerit. Vel jam 3. hæc Collegia inter ſe conveniunt, & fit Concluſum Imperii, vel duo ſuprema tantum conſentiunt, & tunc iterum res eſt expedita, cùm perinde ut in aliis Collegiis, ita & hîc per majora concludi neceſſe ſit.

§. 39. Quod ſi verò 2. priora Collegia diverſam ſuſtineant ſententiam, maxima oritur contentio, an ſuffragium Civitatum alterutri aſſentiens majora reddere posſit? Et fatendum utique eſt, primo intuitu videri mirum, tantam Civitatum arbitrio tribui Autoritatem, ut in Principum, quin ſummorum Imperii Archiofficialium præjudicium ſuffragio uti queant. Attamen omnis planè difficultas ceſſabit, modò conſideremus, quòd, ut antiquis temporibus Comites ac Barones, ita adhuc hodie Civitates populum, qui ipſe convenire

Civitates, ſi vel cum Electoribus, vel cum Principibus conſentiant, utique pluralitatem efficiunt.

venire non poteſt, repræſentent. Cùm enim forma Imperii noſtri partim Monarchica, partim Ariſtocratica, partim verò Democratica ſit, ea ſanè non patitur, ut ſoli Principes, Comites & Barones jure Comitiorum gaudeant, ſed omnes vel per ſe, vel per Principes & ſuperiores ſuos Comitiorum capaces ſint, præſertim, quoniam ab immemoriali tempore, interruptâ nunquam ſerie obſervatum fuit, ut populus in deliberationibus quoque ac Conſultationibus Imperii adhiberetur, id quod ſolidisſimè demonſtrat Ill. Dn. Præſ. *in Jure Publ. c. 7. & c. 14. §. 4.* Peucerus quidem *in Complem. Chron.* aliique decernendi facultatem Civitatibus denegant & conſulendi tantùm jus relinquunt, ſed quàm erronea ſit hæc opinio, latè demonſtrant Ludovic. Gremp. & Hieronymus zum Lamb *in Conſil.* der Ehrbahren frey-und Reichsſtädten *Sesſion*, Stand und Stimme belangend / item Knipſchild *de Privil. Civit. Imper. l. 2. c. 2.* Cur enim Status Imperii nomen vilius debiliusquè eſſet in Civitatibus, quàm in aliis Proceribus, cùm æquè ſint Auguſti illius Comitiorum Collegii ſtatus ac membra, & proinde æquale etiam jus ſuffragiorum cum cœteris habere debeant? Arum. *in Aur. Bull. Diſcurſ. 1. Concl. 1.* Ad quid in formulis illis, quibus Status ad Comitia vocantur, Civitatum mentio fieret, uti tamen fit *in R. J. de anno 1555. circa fin.* §. Und wir Beordnete & *R. J. de anno 1551.* §. Und wir Churfürſten? Vid. Reinking. *l. 1. Claſſ. 4. c. 20. §. 30. & ſeqq.* Rarò quidem accidit, ut Civitates in Electorum & Principum ſuffragiis non acquieſcant, ſed inde inferri nequit, ipſis jus contradicendi non eſſe, cùm diverſa ſæpius propoſuerint & etiam toties ab Electoribus ac Principibus diſſenſerint, de quibus fuſius videri poteſt Limn. Enucl. *l. 4. c. 1. §. 14.* Hodie ea de re vix amplius dubitatur, poſtquam Pace Oſnabr. *art. 8. §. 4.* fuit conſtitutum, ut tam in Univerſalibus, quàm particularibus conventibus, Imperii civitatibus, non minùs quàm cœteris ſtatibus ſuffragium deciſivum competeret, tametſi ſuffragia Earum regulariter effectu deſtituantur, cùm Electores & Principes, ſi fortè inter ſe diſconveniant, tot Re-atque Correlationes, ut vocant, adhibeant, donec inter ſe

conci-

concilientur, ne necesse habeant suas sententias Civitatum Voluntati atque arbitrio subjicere. Conring. *Diss. de Comit.* §. *53.* Et tantum de pluralitate suffragiorum!

SECTIO II.
De Parilitate Suffragiorum seu Calculo Minervæ.

§. I.

UTi tutius ac salutarius est Reip. ut minimùm 3. personæ in Universitate constituantur, ita id Collegiorum quoque ratio requirit, quia 3. faciunt Collegium, &, si semel constitutum, unus sustinet, uti JCti loquuntur, ut eò citiùs negotia ac lites ad finem perducantur, illaque suffragiorum parilitas evitetur; Quod & probè Pontificii *in Cap. 1. Cap. pen. X. de Arbitr.* observârunt, eamque ob causam constituerunt, ut necessariò vel unus, vel tres, adeoque impari numero eligerentur arbitri, ne negotium maneret indecisum. ICti verò Romani in *l. 17.* §. *6. ff. de Rec. Arbitr.* viderunt quidem, difficultatem aliquam obstare, quo minùs arbitrium in duos collatum valere possit, *quoniam res ob naturalem dissentiendi facultatem exitum invenire non posset,* sed eo non obstante, nihilominus pares numero arbitros admiserunt, addito tamen hoc remedio, ut, si forsan hi 2. inter se dissentirent, tum Prætor eos cogeret, ut tertium quendam, qui illorum controversias dirimere, atque in omnem eventum decidere posset, eligerent. *d. l. 17.* §. *6. in f.* Sive autem ab initio impar in Collegio quodam, sive par numerus constituatur, quoniam tamen sæpe accidit, ut unus aut alter absentiâ aut alia justa de causa jure suo uti impediatur, (cujus proinde jus merito accrescit præsentibus: Grot. *l. 2. c. 5.* §. *20.*) eoq; ipso paria iterum reddantur suffragia, operæ pretium erit, paucis delibare, quid sublatâ illa imparilitate in dubio sit decernendum. *Transitio.*

Aequalitatem Suffragiorum Graeci vocarunt Calculum Minervae.

§. 2. Hanc autem ſuffragiorum parilitatem Doctores vocant *Calculum Minervæ*, unde & hâc rubricâ præſentem ſectionem notavimus, quanquam apud Græcos Minervæ calculus propriè id genus numeri æqualis in variantibus ſententiis vocetur, quo reus abſolvitur: Böclerus *Diſſ. de Calculo Minervæ*. Antequam ergò ad explicationem hujus rubricæ, cur ſcilicet (1) Calculus (2) Minervæ Calculus dicatur, progrediar, non male me facturum arbitor, ſi paucis varios ſuffragia ferendi modos, quibus cùm aliæ gentes, tum præcipuè Græci ac Romani uſi fuerunt, attulerim, oſtenderimque, quam ob cauſam apud Romanos calculi fuerint introducti.

Mores ſuffragandi apud Athen: Lacedam: German: & Macedones:

§. 3. Egregiè autem hac in re viam ſternit Alex. ab Alex. *lib. 4. Dierum Gen. c. 11.* ubi uno quaſi intuitu omnium fere ſaniorum Gentium mores ritusque in colligendis ſuffragiis exhibentur; Apud Athenienſes in frequenti Senatu pro cujusque ætate ſententias fuiſſe rogatas Autor eſt Herodotus *l. 6. c. 6.* Lacedæmonios maximis clamoribus voluntatem ſuam declarâſſe, ſuosque ſuffragatores miſiſſe, qui animadverterent, cujus partis clamor vehementior eſſet, Thucydides, *Bell. Pelopon. lib. 1.* teſtatur. Unde Candidati per campum Comitiorum tranſeuntes, populi applauſum captabant, Judices verò ſeorſim conſidentes clamoris magnitudinem diligenter obſervabant, & cui plures acclamâſſent, is vincebat competitores. Vid. Beierling. *Theatrum Vitæ Hum. lit. C. pag. 311. Col. 2.* Germani verò murmure ac fremitu diſſentiebant, framearum contrà ac telorum concusſione & ſono armorum & tripudiis conſenſum indicantes. Alex. ab Alex. *d. l.* Tac. de Mor. Germ. *c. 11. in f.* Apud Macedones quoque in uſu fuit, ut, quoties in publica conſultatione quid improbarent, haſtis ſcuta quatientes obſtreperent. Curt. *lib. 10. c. 6.*

Romani primùm voce ſuffragia ferebant.

§. 4. Contrà Romani in ferendis ſuffragiis ac ſententiis ſæpiùs variârunt: Primis enim temporibus, tam in Curiatis quàm Centuriatis Comitiis Voce ſuffragia ferebant, & pro varietate Comitiorum varia quoque ſuffragiorum erat ratio. In Comitiis enim Magiſtratuum rogabantur ſinguli, quem

quem Vellent Magistratum creari Asconius Ped. *In Divin.* & Alex. ab Alex. *l.4.c.3.* cujusmodi suffragii formula videtur fuisse, quæ est apud Liv. *l.10.l.24.l.29.* HUNC VEL ILLUM CONSULEM NOMINO, DICO. Vel etiam rogati simpliciter personam nominabant; si verò Leges condendæ essent, populus consentiens his verbis utebatur: VTI ROGAS (id est, uti rogat Legislator, ita Volo) Dissentiens verò utebatur solenni Voce, ANTIQVO: Eademque Verborum solennitas locum quoque in Comitiis judiciorum habuit: Voce' enim ANTIQVO absolvebatur reus, verbis VTI ROGAS condemnabatur, teste Alex. ab Alex. *d.l.*

§. 5. Animadvertente autem Pop. Romano, sententiam non tam liberam, nec ab inimicitiarum metu immunem esse, si ore, quàm si alio modo, feratur, cùm qui honoribus ac dignitatibus cæteros anteeunt, plus voce, quàm punctis seu Tabellis haud dubiè possint, testante idem Alex. ab Alex. *d.l.* his verbis? *Ne qua invidia oriretur, & quò magis libero animo vota impertirent, cautum fuit, ut non voce, sed punctis suffragarentur:* Idcirco quatuor LL. Tabellariæ, Gabinia in Creandis Magistratibus, Cassia in judiciis, Plin. *l.3.Ep.20.* Papyria in ferendis Legibus, & denique Lælia in perduellione, (quippe quam Cassia exceperat) fuerunt constitutæ, vi quarum, non voce, ut antea, sed magno cum silentio suffragia dabant: Gruch. *de Comit.* Unde & tabellas has *Vindices Tacitæ Libertatis* Vocat Cic. *in Orat. Agraria 11. & Lib. de LL.* Et in Oratione pro Cornelio Balbo: *Principium justissimæ libertatis.* Modus autem suffragandi is erat: In Comitiis Magistratuum tabellis Candidatorum nomina inscribebantur, unde tot populo tabellæ dabantur, quot Candidati erant: Notabantur autem in tabellis non integra Candidatorum nomina, sed primæ tantum literæ, uti videre est apud Cicer. *pro Domo* qui scribit: *Quendam fraudem facere voluisse, ita ut Prætor renunciaretur interversa ædilitate, idque potuisse, si modò prima litera Competitorem habuisset aliquem:* Id est, si nomen alicujus qui Præturam petiisset, initium habuisset ab ea litera, à qua nomen illius fraudulenti: In Comitiis verò Le-

Postea tabellis usi fuere.

 gum

gum & judiciorum 2. tabellæ dabantur, quarum uni insertum erat, VTI ROGAS, duabus tantùm primis literis, V. & R. alteri verò inscriptum erat, A. id est, Antiquo: Priori populus accipiebat Legem vel reum condemnabat, posteriore verò legem repudiabat vel absolvebat reum. Vid. latè Sigonius *de jure Antiquo Vett. Rom.* & Onuphrius in *Imperio Rom.*

Aliquando m. perinde ut Græci Calculos adhibuerunt.

§. 6. In gravioribus autem causis Romani secuti sunt Græcos: Hi enim quemadmodum in omnibus judiciariis, ita maximè in criminalibus, in eo occupati fuere, ut liberè & sine invidiæ metu mentem quisque suam aperire ac declarare posset. Quamobrem antiquissimis temporibus non voce aut hastarum sonitu sensa animi exprimebant, sed suffragia nigris & albis fabis ferre consveverant, unde & *fabis victitare* dicebatur, quibus hinc erat quæstus: Erasmus *Chil. 1. Cent. 1.* Postea autem adhibebant Calculos, condemnatorios alios, alios absolutorios, quos in 2. urnas, quarum altera ἐλέυ, id est, misericordiæ, altera θανάτυ, id est, mortis Cadiscus vocabatur, summo cum silentio immittebant, ut sciri minimè posset, quinam cujusque calculus fuisset: *Scholast. Aristoph. in Vespas.* Hos ergo imitati fuére Romani, & aliquando tabellis, uti ex præced. §. & inprimis ex insigni illo loco Propertii, *l. 4. Eleg. 12.* apparet:

Mî natura dedit Leges, à Sanguine ductas,
Nec possum melior judicis esse metu.
Qualibet austeras de me fert urna tabellas:
Turpior assensu non erit ulla meo.

Interdùm verò, & inprimis extra Romam, calculis quoque usi fuerunt teste Alex. ab Alex. *l. 3, c. 4.*

Duplices erant Calculi albi & nigri.

§. 7. Duplicis autem generis hujusmodi Calculi fuere; alii perforati & nigri, qui condemnabant, alii albi & integri, qui absolvebant: qua de re ita Ovid. *Metam. l. 15.*

Mos erat antiquus, niveis atrisque lapillis:
His damnare reos, illis absolvere culpa,
Nunc quoque sic lata est sententia tristis, & omnis
Calculus immitem demittitur ater in urnam,

Qua

Quæ ſimul effudit numerandos verſa lapillos
Omnibus è nigro color eſt mutatus in album,
Candidaque Herculeo ſententia munere facta
Solvit Alemoniden.

Quemadmodum enim aliâs ſemper albo colore, non Romani tantùm, ſed aliæ etiam gentes, læta & auſpicata ſignificarunt, indeque lætos dies albis, lugubres verò & infauſtos nigris calculis notârunt. Macrob. *l. 1. Satur. c. 15.* Alex. ab Alex, *l. 4. c. 20.* nigrum adeò colorem ominoſum maximè judicantes, ut docet Horatius. *l. 1. Serm. Sat. 4.* cùm ait:

Hic niger eſt, hunc Tu Romane caveto

& Pauſan. in *Græc. l. 8. c. 34.* dum Oreſti furenti atras, convaleſcenti albas apparuiſſe furias tradit: Ita hîc quoq; abſolutioni, utpote quæ jucunda admodum eſt, albos, triſti verò ac funeſtæ condemnationi nigros lapillos tribuerunt. Unde & interdum loco lapillorum alborum cretâ, tanquam candida, loco nigrorum verò atro carbone uſi fuerunt. Sic enim Horatius *l. 2. Serm. Satyr.* 3. inquit:

Quorſum abeant ſani? Creta, an carbone notandi?

Et Perſius *Satyr. 5.*

Quæque ſequenda forent, & quæ vitanda vicisſim;
Illa prius cretâ, mox hæc carbone notâſti.

Confer. Dœpler. *Theatr. Pœn. & Supplic. p. 15. & ſeqq.* Meurſius *In Areop. 61.* Joh. Pfeiffer *Antiquit. Græc. l. 2. c. 30. & cap. 29.* Beierling. *Theatrum vitæ hum. lit. S. p.* 141.

Cur parilitas ſuffragiorum dicatur Calculus Minervæ.

§. 8. Poſtquam ergo jam ratio conſtat, cur ſuffragia nomen Calculorum induerint, diſcutienda erit altera rubricæ noſtræ pars, cur nimirum æqualitas ſuffragiorum dicatur *Calculus Minervæ?* Debet autem illa originem fabulæ, quæ apud Euripidem in Oreſte & Electra, & apud Aeſchylum in Furiis tractatur: Clytemneſtra enim, Agamemnonis Uxor, maritum reducem ope adulteri Aegyſthi interemerat, idemque fatum Oreſti puero imminebat, niſi Electra Soror clam ſervatum educari curâſſet. Is ergo adultus, Patris necem, occisâ cum Aegyſtho matre, vindicavit: Hujus parricidii nomine, cùm accuſantibus Furiis, judicantibus Areopagitis, in

Areopago causam diceret Orestes, damnantesque uno suffragio vincerent, Athenas profugit, & à Minerva supplex impetravit, ut Illa suum Calculum absolventibus apponeret, quo ipso, quem majora antea vota condemnâssent, paria jam vota absolverunt, teste eodem Euripide *In Iphigenia Taurica*, ubi Minerva pristinæ benevolentiæ adhuc admonens Orestem, Legem hanc in posterùm futuram dicit *v. 1268*.

Καὶ τοῖσι λοιποῖς ὁ δὲ νόμος τεθήσεται
Νικᾶν ἴσαις ψήφοισι τὸν φεύγοντ' ἀεὶ
Et Cæteris lex ista promulgabitur,
Ut usque paribus Calculis Vincat reus.

Ut proinde facilè hinc appareat, non eum, quem quidam describunt, esse Calculum Minervæ, quando paribus punctis unum accedit, sed hunc demum, quando paribus numero suffragiis reus à pœna criminis liberatur, quod ipse Orestes apud Euripidem in *Iphigen. Taur.* confirmat, ubi recensens Deorum beneficia, Minervam paria sibi suffragia fecisse gloriatur: Conf. Diss. Böcleri *de Calculo Minerv.*

Semper hoc à plerisque Gentibus observatum, ut paribus suffragiis reus absolveretur.

§. 9. Neque vero in Oreste tantùm hoc contigit, sed jus hoc certatim quasi ab omnibus gentibus fuit observatum: Ita Mars, cùm homicidii reus fieret, & coram rigido illo Areopagitarum judicio accusatus esset, judicantibus 12. Diis, à 6. Condemnatus, à 6. absolutus fingitur: Alex. ab Alex. *l. 3. c. 5. & l. 4. c. 11. & l. 6. c. 11.* Cælius Rhodig. *7. 19.* Philip. Melanchton. *In Epit Philos. Mor. Quoniam*, uti Augustinus *de Civitate Dei* ait, *ubi paris numeri sententiæ fuissent, præponi absolutio damnationi solebat.* Idem de Cariolano refert Dion. Halicarn. *l. 7. c. 59.* Et simile prorsus exemplum est apud Plutarch. *In Vita Catonis Vticensis*, ubi in causa scribæ, criminis falsi postulati, cùm uno calculo absolventes vincerentur à damnantibus, M. Lollius Quæstor per causam valetudinis absens, lecticâ allatus, absolventem lapillum adjecit, reumque damnationi eripuit. Elegans hanc in rem locus est apud Cic. *In Oratione Miloniana*: *Non sine causa*, inquit ille, *fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt, eum, qui Patris ulciscendi causâ matrem necavisset, variatis hominum*

minum sententiis, non solùm divinæ, sed etiam sapientissimæ Dei sententiâ liberatum. Idem testantur Seneca *l. 3. Controv. 2. Filius à Patre parricidii condemnatus paribus votis absolutus: Et in Ep. 81. Reus paribus Sententiis absolvitur, & semper, quicquid dubium est, humanitas inclinat in melius.* & Paulus *in lib. 4. sentent. 12. & 5. Inter Pares,* inquit, *sententias Clementior severiori semper præfertur, & certè humanæ rationis est, favere misericordibus, & prope innocentes dicere, quos absolute nocentes pronunciare non possumus.*

Naturalis ratio hujus sententiæ cõsistit in eo, quòd res tam diu maneat in suo statu, donec mutatio accedat.

§. 10. Variæ quidem rationes, cur absolutio paribus calculis obtineat, passim à Doctoribus afferri solent, sed admodum leves ac frivolæ, scilicet, quòd reus præ animi perturbatione se satis defendere nequeat, quodque damnatio injustè facta non possit corrigi, absolutio autem vel nocentem emendet, vel denuo peccanti pœnam reservet; Inde enim nec rei innocentia, nec criminis, de quo manifestò constat, impunitas deduci potest. Vera ergo ratio est, quòd prior rei status condemnatione mutetur, absolutione maneat, adeoque nihil agatur: Cùm verò major tantùm pars novi aliquid facere & statum priorem mutare possit, sequitur, si pares sint, nihil agi, sed priorem rei statum manere, id est absolvi: Huic similis aliquatenus est ratio, quam Grot. *l. 2. c. 5. §. 18.* & Puffend. *l. 7. c. 2. §. 17.* adducunt, quòd nimirum, si ad mutationem non satis momenti adsit, atque par pondus velut æquilibrio rem suspendat, in paribus suffragiis nihil agatur, secundùm communem regulam, quod omnis res tamdiu maneat in statu suo naturali, donec mutatio accedat; quemadmodum enim Philosophi loquuntur: *Nihil movetur, nisi ab alio moveatur,* ita & hìc nulla lis dirimi, nec pœna infligi potest, nisi ab iis, qui litibus finiendis, pœnisque injungendis præsunt. Hi ergò, cùm æquale ab utraque parte jus habeant, si invicem contrariis suffragiis se consumant, nemoque supersit, qui suo calculo reum condemnet, delictum quidem, si quod est, manet impunitum, non tamen ideo, quoniam melius est nocentem absolvi, quàm innocentem condemnari, sed quoniam omnis pœna naturaliter requirit condemna-

demnationem, hæc verò alios, qui condemnent, Non possunt autem videri condemnàsse suffragantes, qui sibi invicem contradicendo, paribus suffragiis fecerunt, ut nihil actum fuerit.

Quâ positâ, sequitur paribus suffragiis Electionem omnem annullari.

§. 11. Et hæc ratio non tantùm in condemnatione reorum, sed aliis quoque rebus ac negotiis locum habet, eumque Romani quondam in mandandis Magistratibus condendisque legibus sanctissimè semper observàrunt: Si enim paria essent suffragia, nemo Consul, Prætor, Censor renuntiabatur, sed, quasi nihil actum esset, aliarum Centuriarum suffragia expectabantur. Similiter in Legum Comitiis, si plures ab una parte tabulæ non reperirentur, sed æqualia utriusq; partis suffragia essent, nulla Sententia prorsus pronunciabatur: Gruchius *de Comitiis* & Merula *Operibus variis Posthumis p. 21.*

Idem attenditur in Electione Regis Rom.

§. 12. Hinc ergo apparet, quid in Electione Regis Romanorum, si pars una in hunc, altera in alium Imperatoriam dignitatem conferre velit, sit decernendum. Equidem in hac quæstione, licèt facili, Doctores maximè inter se dissentiunt: Quidam enim opinantur, quòd hoc casu alter alterum cum exercitu in agro Francofurtensi expectare, & vel prælio adversarium vincere, vel sponte alter alteri cedere debeat, quale certamen fuisse inter Henricum Thuringiæ Landgravium & Conradum Frid. II. filium, it: inter Guntherum Comitem Svvartzburgicum & Carolum IV. referunt Matth. Dress. *de Vrbibus Germ. in Descript. Vrb. Francofurt. p. 56. 57.* Alii, inter quos est Henricus Zöllner / Disp. *de Reg. Rom. Elect. Concl. 11. inf.* litem à duobus istis, pari calculorum numero ad Imperium vocatis, privato duello dirimendam esse putant: Sunt denique, qui in hoc casu utrumque Electum ad Imperii administrationem promovendum esse arbitrantur; uti Gœden *Tract. de Elect. Reg. Rom. c. 7. n. 3.* Sed quis non videt, inveteratos hos potius errores, quàm rationabiles opiniones fuisse? Verissima ergo omnium ea est sententia, quæ *juxta tit. 2. Aur. Bull.* à Majori parte Electum ad Imperium admittit, paribus autem suffragiis Electionem ipso

jure

jure nullam denuòque repetendam pronunciat. Rejiciendi ergo meritò ii quoque ſunt, qui, quoties dubia electio eſt, Papæ approbationem, propter *Cap. Venerabilem X. de Elect.* expoſtulant, cùm tamen nihil ille in Imperio Romano, niſi unicè ex liberalitate & beneficentia Impp. poſſideat: Illuſtr. Dn. Præſes *Jure Publ. c. 6. per totum*: multò minùs quoddam jus in Electione Regum Romanorum, quod ſemper Procerum & Populi Germaniæ fuit, Dn. Præſ. *In Jure Publ. c. 14. §. 3.* ſibi arrogare poſſit. Conf. Doct. Conring. in Diſſ. *de Imp. Rom. Germ. §. 45.* Et Goldaſt. *tom. 3. Conſtit. Imper. pag. 469.* Neque verò in hac diſſenſione Regis Bohemiæ eæ partes ſunt; Magnoq; errore Veterum quidam antiquo illo Rythmo de Eo prædicârunt:

Ich bin der Fürſten Obmann /
Wan man nicht eines werden kan :c.

Etenim præter ſuffragium in Electione nihil juris ullibi Ei permiſſum apparet: & nec Capitulationibus intereſt. *Capitul. Ferdin. III. §. 7. 9. 11. 13. 24.* quo ſenſu ſemper 6. tantùm Electorum fit mentio: Dn. Præſes *d. c. 14. §. 5. & c. 12. §. 12. c. 19. §. 10.* Ut proinde, ſi pars una in alterius ſententiam ire nolit, alia rurſus Electio facienda ſit, nec antea Archiofficiales Imperii dimittantur, per Aur. Bull. *tit. 2. §. 3.*

§. 13. Atque hoc quoque fundamentum eſt, quo Cz. & Cujac. *Obſ. 11. 35.* nixi paritate ſuffragiorum pro poſſeſſore decidendum eſſe ſtatuerunt, quòdque Camera Imperii quoque, referente Autore Deciſ. vel Præjud. Cameral. *apud. Gylmann. in verb. inhibitio, verſ. Inhibitio etiam decreta &c.* approbavit: Cùm enim ibi de removendo quodam ab Officio, alioque in locum ejus ſurrogando deliberaretur, convenienter juri N. & G. decretum eſt, ut paribus ſuffragiis nihil actum intelligeretur, ſed poſſeſſor in ſuo officio permaneret, non ſolùm, quòd hæc benignior ſit ſententia, adeòque non immeritò præferenda per *l. 7. §. 1. de Reſtit. in integr. l. 4. in f. de eo quod certo loco. l. 10. ff. de Inoff. teſtamento* Mev. *ad jus Lubec. l. 1. art. 5. num. 36.* ſed ideo præſertim, quia removendus in poſſeſſione erat & officium gerebat, proindèque pa-

An pro poſſeſſore ſit judicandum.

ria ſuffragia nullam mutationem inferre, nec citra injuriam officio privare alterum poſſe Cz. *Dec. Illuſtr. 82. §. 35. & ſeqq.*

Melius eſt, ut, quid in paribus ſuffragiis tenendum, ſtatuto aliquo definiatur.

§. 14. Cæterùm, ne propter paritatem ſuffragiorum aut reus impunitus evadat, aut bene meritus à faſcibus Reip. arceatur, aliàque negotia irrita reddantur, incumbit omnino legislatori talem facere legem, quæ incertas judicum ſententias certas reddat, nimirum, ut in hujusmodi caſu deciſio negotii (quod regulariter fieri in Electionibus ſolet) ſorti committatur: Mev. ad Jus Lub. *l. 1. tit. 1. art. 2. n. 35.* Alibi ſtatutum eſt, ut illa pars prævaleat, cum qua Præſes aut Senior Collegii facit, uti in Luſitania hoc obſervari teſtatur Anton. de Gamma *Dec. 1. n. 12.* & in Senatu Pedemontano Anton. Teſſaur. *Dec. 1. n. 13.* Ita, cùm Nobiles inferioris Alſatiæ pacto Mergenthalienſi d. 28. Jun. 1651. reliquis Imperii nobilibus accederent, hi optimè ſibi proſpexerunt, ut, quemadmodum ante illam unionem propter imparem trium circulorum numerum certa ſemper negotiorum deciſio per majora fuit, ita & poſt illam, non attento quod quartum Nobilibus Alſatiæ conceſſum eſſet ſuffragium, paribus tamen ſuffragiis ſola trium circulorum major pars attenderetur. v. Confirm. Ferd. III. der zwiſchen des Reichs Ritterſchafft getroffenen *Conjunctur ſub 10. Jun. 1652.* §. zum Andern quà lege non ſancitâ, ſuffragia tam diu repeti debuiſſent, donec imparia facta, quod tamen multò difficilius fuiſſet, tum ob communem hominum obſtinationem, tum quia ignominioſum multis videtur facilè mutare ſententiam. Svet. *In Jul. c. 14.* & Puffend. de Jure N. & G. *l. 7. c. 2. §. 17.*

SECTIO III.
De Diverſitate ſuffragiorum.

§. I.

Tranſitio.

QUanquam in prima ſectione ſatis ſuperque demonſtratum ſit, nullam bene conſtitutam Remp. ſubſiſtere, nec decidi negotia poſſe, niſi numerus potiùs ſuffragiorum, quàm ratio hujus vel illius ſententiæ atten-

attendatur; in secunda autem sectione in enodandis dubiis, quæ ex parilitate suffragiorum oriuntur, longi satis fuerimus, quoniam tamen sæpe contingit, ut nec majora, nec paria ab alterutra parte suffragia adsint, sed diversæ prorsus à singulis quandoque pronuncientur sententiæ, paucis, quomodo hæ inter se computandæ sint, explicandum superest: ubi quæstio statim sese offert, an singulæ seorsim numerandæ sint, ita ut illa pars vincat, quæ plura reliquis suffragia habuit, an verò duæ pluresve, licèt diversæ, sententiæ conjungi debeant, ut tertia, quæ magis adhuc distat, elidatur, eaque extinctâ, illæ ita inter se comparentur, ut ea demum, cui alterutra per legitimam consequentiam assentit, quæque plura hoc modo suffragia habet, potior sit.

§. 2. In hac Illustri quæstione decidenda ab omni ævo tam Veteres, quàm hodierni Icti, & jurium præsertim Naturalium Indagatores maximè occupati fuerunt, sed quò magis operam ac laborem huic rei præstiterunt, eò longius à vera casuum istorum decisione aberrârunt. *Immortales ergo meritò gratias debemus Illustri Dn. Præsidi, quòd in intricatissima hac materia, in qua tot Viri Eruditissimi hallucinati sunt, tam clarum lumen nobis suppeditaverit.* Equidem Viri magni, Grotius, Puffendorfius, Cujacius, aliique, ad conciliandas hujusmodi dissidenres sententias, distinguunt inter suffragia, quæ totis rebus differunt, v. g. mors, exilium, carcer, & illa quorum alterum partem alterius continet, seu quæ differunt tantùm quantitate: Verùm, quanquam hæc distinctio aliis in locis usum fortè aliquem præbere possit, præsenti tamen quæstioni illustrandæ nîl quicquam conferet, cùm illâ non attentâ, eadem nihilominus in utrisque maneat decisio.

Refutantur rationes Grotii, Pufend. Cujacii.

§. 3. Rectiùs ergo duæ sequentes Regulæ ponuntur, quibus, quasi Principiis ac fundamentis, tutò inniti, difficillimasque objectiones facili negotio labefactare possumus. Nimirum, cùm in omni judicio hæ sint primariæ quæstiones, primò, an reus condemnandus, dein in quantum, apertè liquet, Juris esse Naturalis (1) ut Damnantes omnes jungantur

Duæ ponendæ sunt regulæ.

 tur

tur contra absolventes, & (2) si plures condemnantes in genere pœnæ dissentiant, jungantur ii, qui propiùs idem sentiunt: Reus enim in judicio vel absolvendus est, vel condemnandus, alioquin illud exitum non haberet: Non potest autem absolvi, si plures, etsi diversis pœnis, condemnent, quoniam juxta §. *4. sect. 1.* nulla naturalis ratio subest, cur plures paucioribus cedere debeant: nec, si diversæ pœnæ dictentur, potest condemnari, nisi una ex iis intelligatur, in quam omnes consentiant, & sic plures condemnantes contra pauciores absolventes conjungantur, etsi in genere pœnæ dissentiant.

Rejicitur Pontificis error in cap. 1. de Arbitris in 6to.

§. 4. His positis primo statim intuitu non convenire sibi ipsi Bonifacium in *Cap. 1. de Arbitris in Sext.* animadvertimus, ubi tres judices constituit, unum, qui reum in 15, alium, qui in decem, & tertium, qui in 5. condemnaverat, hujusque, qui de minori summa dixisset, sententiam efficacem esse judicat, additâ hac ratione: *Quasi in illa omnes concordes existant.* Hoc si verum esset, idem statuere quoque debuisset & in priori casu, ubi indubie omnes quoque consensère in 5. Quod si verò naturalem rationem sequimur, minimè illi hæc decisio videtur congruere: quia 2. sententias, quibus unus tantùm adversatur, rejicit, eam verò, cui duo contradicunt, amplectitur: Potiùs ergo media retinenda hîc est sententia, reùsque non in 5. vel 15. erit condemnandus, quia duo sunt, qui vel majori, vel minori pœnâ reum afficiendum esse statuunt; sed tantum in 10, quoniam minor summa continetur sub majore, & qui majorem summam sustinuit, si suam non attendi sententiam videat, in mediam potiùs, quàm in levissimam, quæ longiùs à sua recedit, consensisse videtur. Sed dixeris, eandem Pontificis sententiam defendere etiam JCtos nostros Romanos, quod apparet ex *l. 27. §. 3. de Rec. Arb.* At illi tamen sibi constant & semper minimam præferunt tanquam jus positivum & benignius, cùm semper fuerint ad absolvendum proniores. *l. 47. de O. & A.* Ut proinde hoc tam certum sit, quàm quod certissimum, si & prior casus, ubi duo in 10. condemnaverant, unus verò tantum in 5. Ictis nostris propositus fuisset, eos non cum Pontifice in 10, sed in 5. eadem ratione ductos, condemnaturos fuisse.

§. 5. Hinc

§. 5. Hinc apparet etiam, quid ſtatuendum ſit in caſu *Explicatur* illo, quem Gellius *Noct. Att. l. 9. c. 15.* refert, quique juveni *locus Gellii.* quondam vano ac jactanti propoſitus, ἄπορος ſeu inextricabilis planè videbatur: E. g. Tres judices morte reum puniunt, duo alii exilio, duo reliqui pecuniâ: Non immerito hîc quæritur, qua pœna afficiendus ille reus? Mortis pœnâ putat Gellius: Nos dicimus pœnâ exilii, in quam plures conſenſerunt: A pœna enim mortis 4. mitioribus ſuffragiis fuit abſolutus & tribus tantùm condemnatus: Pœnâ pecuniariâ duo tantùm contenti fuere, graviorem 5. judices dictârunt; Sanè igitur in pœnam graviorem exilii plures conſenſerunt, & ad hanc itaque pœnam pluribus omnino ſuffragiis fuit condemnatus: Nec obſtat, quòd pœna mortis ab exilio toto genere differat: Nam, licèt pœna exilii non formaliter ſub pœna mortis contineatur, uti numerus minor ſub majore, tamen ratio eadem eſt, perinde ac ſi reducatur æſtimatio pœnarum ad numeros, & mors ſit ut 100. exilium ut 50, mulcta ut 20, plurimi in 50 conſentiunt, quia & ille, qui in 100 condemnat, in 50 conſentit, & qui mortis pœnâ dignum habuit reum, eundem multò magis exilio dignum judicabit.

§. 6. Similis caſus eſt apud Quintilianum *Declam. 365.* Ubi *Solvitur ca-* 7. conſtituti judices, quorum duo condemnabant in infamiam, *ſus Quinti-* duo Exilium, tres mortem volebant. At quis non videt, mediæ *liani.* pœnæ denuo hîc eſſe locum, nec tres illos rigidiores, quamvis ſeparatim ſpectati numero ſint potiores, attendendos eſſe cùm quatuor mitiores adſint, nec infamiam quoque infligendam, cum 5. graviorem pœnam ſtatuerint?

§ 7. Huc etiam ſpectat controverſia illa, quæ eſt apud Plin. *Illuſtratur* *l. 8. Ep. 14.* Interfecto nimirum Afranio, cùm incertum eſſet, ſuâ, *locus Plinii,* an ſuorum manu periiſſet, quæſtio movebatur libertis: Hos alii *contra Grotium.* ſupplicio liberandos, alii in Inſulam relegandos, alii morte puniendos arbitrabantur: Plinius tantam hîc eſſe ſententiarum diverſitatem exiſtimat, ut non poſſint eſſe niſi ſingulæ, & parvulum referre, an idem diſpliceret, quibus non idem placuiſſet, adeòque diviſis planè ſententiis libertos eſſe abſolvendos; Sed quam longè hoc in caſu Vir ille Conſularis & cum eo Grotius *l. 2. c. 5. §. 19.* qui ea propter mirum in modum Ipſum extollit, à

 vero

vero aberraverit, ex dictis §. 3. regulis abundè constat: Duæ enim hic fuerunt quæstiones, primò, utrùm liberti Afranii absolvendi essent, an condemnandi? Dein quâ pœna afficiendi? Quantum ad primam quæstionem, certum est, eos omnem effugere pœnā non potuisse, quia una tantùm sententia absolverat, duæ condemnaverant, & ergo de prima hac quæstione non potuit dubium esse, sed tantùm de altera, quæ pœna præferenda: Igitur, licèt in modo pœnæ dissenserint, omnes tamen consenserunt, libertos delictum commisisse, pœnamq; meruisse: Contradictio enim est, reum absolvendum esse, quem plures deliquisse censuerunt ac damnarunt. Quod vero gravitatem pœnæ attinet, sanè, qui capitis sententiam dixerant, præferri neutiquam potuerunt, cùm ut ipse Plinius d. l. ait: *Dua sententia vitam relinquerent, una adimeret*, ut proinde necessariò relegantium sententia obtinere debuerit: Quamvis enim secundùm Plinium & Puffend. nihil commune habeat occidere & relegare, non magis, quàm relegare & absolvere, quatenus tamen pœna est æstimatio delicti, minor æstimatio continetur sub majore, & ille, qui in plus condemnat, procul dubio cum eo, qui proximè ad hanc pœnam accedit, hact. convenit, & sic eatenus aliquam certé propinquitatem inter has duas pœnas, occisionem nimirum & relegationem intercedere posse statuimus.

Explicatur locus Polybii

§. 8. Similem plane controversiam affert Polyb. *Excerpt. legat. 129.* Cùm enim quidam Achæi Romæ captivi tenerentur, & quid iis fieri placeret, ad Senatum referretur, itum fuit in 3. diversas planè sententias: Pars enim omnes, alii nullos, reliqui quosdam dimittendos esse censebant. Hìc ergo, cùm postrema sententia duas priores vincat, rectè inquit. Polybius, non omnes dimittendos esse: Paucissimi enim omnes dimittendos esse putabant, contraque eos duæ stabant sententiæ, quæ quidem differebant inter se, sed in eo conveniebant, quod omnes dimittendi non essent, cui proinde sententiæ meritò standum fuit. Plura hujusmodi exempla videri possunt apud Cujacium *Obs. 12. c. 16.* qui licèt sinistrè plerumque decidat, hisce tamen positis ac perpensis omnia facilè solventur.

Romani dividere solebant sententias.

§. 9. Cæterùm in Senatu Romano moris erat, ut, si quis sententiā suā duas pluresve res complecteretur, quarum una forsan probaretur, altera verò displiceret, tum quivis Senator, qui non in universum approbâsset, postulandi haberet facultatē, ut sententia divideretur, hoc est, ut de singulis rebus referretur, testante id Seneca *Ep. 21.* his verb. *Quod fieri in senatu solet, faciendum ego in Philosophia quoque existimo. Cùm censuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, jubeo illum dividere sententiam & sequor.* Et Festus de V.S. *Numera*, inquit *Senatum: Quivis Senator Consuli cùm impedimento vult esse, quò minùs faciat Senatus consultum, postulâtque ut aut res, quæ afferuntur, NB. dividantur, aut simul consulantur:* Add. Cic. *Epist. fam. l. 1. Ep. 2.*

Conclusio.

§. 10. Plura quidem in hac amplissima materia addi possent, sed ne terminos Disputationis excedam, hic subsisto. Tibi interim Immortali ac Benignissimo Numini devotissimas ago gratias pro tot immensis beneficiis, quibus in hunc usque diem me cumulasti, ut salvus ac sospes studiis meis Academicis imponere potuerim

F I N E M!